IOSEPHINA LUCERNENSIS. IN QUA LUCERNAE HELUETIORUM...

Jacob Reiss, Jacob Tschan, Christoph Schorrer




BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
31 H
31

IOSEPHINA LVCERNENSIS.

IOSEPHINA LVCERNENSIS.

in qua

Lucernæ Helvetiorum

S. IOSEPH

VIR MARIÆ, &c.


centum Elogijs illustratur atque propugnatur.



PRAESIDE

IACOBO REISS

Societatis IESV SS. Theologiæ Professore Ordinario.



RESPONDENTE

R. D. IACOBO TSCHAN,

ejusdem SS. Theologiæ Studioso ac Candidato.

Cum facultate Superiorum.

CONSTANTIAE,

Apud Ioannem Geng Episcopalem Typographum.

Anno M. DC. LVIII.

Ex Dono P. Christoph. Schorrer

SALVTATIO
AD
S. IOSEPHVM.

AVE

IOSEPH,

GRATIA PLENE,
DOMINVS TECVM,
BENEDICTE TV IN VIRIS,
ET
BENEDICTVS FILIVS TVVS
IESVS,

SANCTE IOSEPH

VIR

MARIÆ

ORA
PRO NOBIS PECCATORIBVS,
NVNC
ET IN HORA MORTIS NOSTRÆ,
AMEN.

REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISSIMO DOMINO DOMINO S. R. I. PRINCIPI

IODOCO

LAVSANENSI EPISCOPO,

ac Comiti, itémq; Collegiatæ Ecclesiæ S. Leodegarij Lucernæ

PRÆPOSITO.

Nec non cæteris

ADMODVM REVERENDIS, NObilibus, & Clarissimis, ejusdem Ecclesiæ Collegiatæ

DD. CANONICIS.

Patronis meis obseruandissimis.



ETsi de cœlo S. IOSEPHVS huic suarum Laudum à me suscepto patrocinio, haud dubiè propitiam manum porrecturus sit, non dedignatur tamẽ, more sanctis vsitatô, etiam ex terrâ, Patronos aliquos optari in Societatem auxilij sacri. At fierine potest, vt CLERICVS ad alios, quàm CLERIGOS, &

Clericorvm præcipvos, feliciùs ac sapientiùs confugiat? Nemo opinor, hoc dixerit. Præ omnibus igitur Vestrum, Reverendissime et Illvstrissime Episcope ac Præposite; Admodvm Reverendi, Nobiles, et Clarissimi Domini Canonici, Nomen, Tutela, & Opera, à me mihi quærenda, roganda, atque exoranda est; nisi fortè aliquis negare possit, Tales Vos esse, quales vnà mecum Vniuersa Patria lætabunda agnoscit, hoc est, Præcipvos Clericorvm. At hoc neque Iustitia, neque Veritas sinit. Nam I. Vos, vt in communi alloquar, hic idem Præpositvs Vester, meritô Sapientiæ ac Virtutis eximiæ, postquam Sanctissimi D. Innocentii X. Singvlari Favore Internvncivs cvm Potestate Legati a Latere, ad Heluetios Rhætósque & adjunctos ijs populos, præclarè fuit, etiam ex alienâ Diæcesi, Constantiensi nempe, Episcopvs Lavsanensis ac Comes renunciatus & confirmatus est. Deinde autem constituitis Vos, Admodvm Reverendi, Nobiles, ac Clarissimi Domini Canonici, præcipuæ istarum partium Ecclesiæ Corpus,

pus, verè principalia membra. Non solùm enim CANONICI estis, quod VOBIS commune est cum alijs multis; sed etiam per Vos ipsos, eo, quæ CANONICIS præscripsit Trident Sess. 24. cap. 12. religiosissimè obitis; vt meritò, quemadmodum idem loquitur, ECCLESIÆ SENATVS possitis appellari. Insuper autem emicant in VOBIS duo hæc præclara Decora, ac nescio, an vllis alijs CANONICIS concessa: non enim contenti diuinis nocturnisque Horis Diuinum celebrare Officium, etiam ANIMARVM CVRAM, PAROCHIALI IVRE, omnes & singuli, indefessi geritis; & concionandi laude tantopere præstatis, vt Vocem, Zelúmque vestrum, ac facundiam singularem etiam Religiosorum Templa, Festáque audire gestiant. Quamobrem hæc ipsa quoque IOSEPHINA mea, siue rectius IOSEPHVS meus, inprimis ad Vos, quemadmodum dixi, ostendíque, PRÆCIPVOS CLERICORVM, siue vt PATRONOS, siue veriùs vt PRÆCONES earum Laudum, quas Magno huic Sancto assertum venio, recipit se. Et quia gratiarum nihil est in me, quod reponere possim, id vnum precor AB

 ILLO,

Illo, ac per Illvm, vt Vos Colendissimos Dominos, ac Patronos meos in terrâ fauentissimos, Sibi, Ecclesiæ vestræ, Patriæ item, ac in eâ mihi, quàm diutissimè optiméque, seruet semper incolumes ac beatos. Lucernæ.

Rever.^me^ & Illust.^me^ Celsit.^nis^ Vestræ.

Itêmque

Admod. Rev: Nob: & Clar: Dom: VV:

Cliens Infimus

IACOBVS TSCHAN
Presbyter.



M. TERESIA DE IESV BENEVOLO LECTORI SALVTEM.

IOSEPH, (cujus Elogia tibi in hac IOSEPHINA exhibentur; & multa, & magna) *præcipuus est corporis atq; animæ meæ Pater, Patronus, & Medicus. Hunc ego ante alios omnes amo, veneror, & prosequor honore. Hunc ab alijs agnosci, laudari, & inuocari, vnicè desidero. Hunc palàm pronuncio, Fundatorem esse Ordinis mei, cui me, meáque omnia, & quotquot sequuntur me, post Deum ac Deiparam, summè debeo. Hunc olim in omnibus itineribus meis fortissimum habui custodem, comitem, ac ducem, illô maximè tempore, cum per Morenæ abrupta, aspectabili formâ, me, meásque Sorores, è præsenti mortis discrimine eduxit. Hunc etiam omnium meorum Cœnobiorum Patremfamilias liberalissimum, nec sine prodigijs, experta sum, ideóque ad eorum portas, eminentiore loco, constitui Statuam, vel imaginem, Sancti, ne aliquando Beneficiorum, aut gratiarum posteri obliuisci possint. Ego certè iterum iterúmque protestor, adjutam me ab ipsô in omnibus fuisse. Imò, quæ mea fiducia est, audeo hujusmodi auxilium polliceri alijs quibuscunque, qui eum sibi Patronum adsciuerint. Quare age, experire vnà mecum, quod ego toties experta sum, vt incredibile dictu videatur, è quam multis me periculis seruauerit. Constituit profectò Deus* IOSEPH *vniuersalem Patronum nostrum, eôque locô nunc habet in cœlô, quô habuit in terrâ, vbi ipsi ac* MARIÆ *per tot annos fuit subditus. Idq; ego præcipuè coram totô mundô*

testari possum; quæ nulla vnquam in re deserta ab hoc Patrono fui. Est autem inprimis festus ille dies, quem eius honori Pontifex decreuit, commemorandus mihi; quidquid enim id temporis petij, id ego, aut etiam melius aliquid, semper impetraui. At neque, alios impetraturos esse vota sua, sinit dubitare me, tum mea, tum aliena experientia. Quapropter omnes hisce denuo admoneo, vt animum tandem suum omnem, ad talis tantique Patroni venerationem, inclinent. Quos ego, libris quoque in laudem Sancti scriptis adiuuare cuperem; verùm mea me conditio prohibet, ne quid audeam viribus maius. Ergo hoc vnum precor, serióque exopto, IOSEPH *vti Patronum accipias, atque reipsâ comprobes. Cinget ille te quoque cyclade, monili, ac cruce incomparabilis formæ ac pretij. Nam idem dum mihi à munificâ eius manu obuenit, aliud cogitare non possum, quàm Te quoque, exemplô nostrô, siquidem imitari velis, aliquando exornatum iri. Ille tibi orandi Magister erit optimus: ille tibi monstrabit Filium Dei, ille* MARIAM *Matrem eius ostendet, ille denique Virtutes paulatim omnes, pectori tuo inseret; defigétque. Vale, & hoc affectu, quô è vitâ meâ olim à me scriptâ hæc pauca repeto, lege, quæ sequentur, Elogia* Iosephinæ Lucernensis. *Ex cœlesti Ierusalem.*

M. TERESIA
de IESV.



IOSEPHINA LVCERNENSIS.

ELOGIVM PRIMVM.

IOSEPH

Primus Prædestinatorum post IESVM, & MARIAM.



Tructurus IOSEPHO, VIRO MARIÆ, præaltam Arcus Triumphalis molem, fundamentum prius ponere debeo, quibus illa securè inniti possit. At hæc simillima sint, necesse est, ipsi Virgineæ Matri Dei, suæ verò Coniugi, MARIÆ; cuius fundamenta iam inde ab æternô in montibus sanctis, diuinæ prædestinationis, posita sunt. Si ergo IOSEPHVM quoque, simul cum illa, aut proximè post illam, prædestinatum esse docere possim, habes, opinor, Beneuole Lector, eiusmodi fundamenta, quibus sine periculô quantalibet moles incumbat. At idem hoc de IOSEPHO affirmârunt: Carthag. l.4. Hom.7 fol.323. Eckius Hom. 1. de S. IOSEPH. fol. 129. & ante hos dudum Gerson in Serm. de Nat. B. V. coram

Con-

Conſtantienſi Concilio. Eſt ergo, Auctoritatem ſi ſpectes, abundè comprobata hæc veritas; nempe IOSEPHVM, poſt IESVM, & MARIAM, principem prædeſtinationis locum, conſecutum eſſe.

Sed eſt Ratio Auctoritati iſti par, vel etiam maior, quam meritò, initiò ſtatim, in conſpectum do, redituram deinceps ſæpius, & lucem à dicendis accepturam. Sic autem ſe habet. Eo quis prior maiórque inter prædeſtinatos eſt, quô Deo prædeſtinanti eſt dignior, vt præ alijs prædeſtinetur. Atqui poſt IESVM & MARIAM digniſſimus eſt S. IOSEPHVS. Ipſe ergo poſt IESVM & MARIAM eſt inter prædeſtinatos prior maiórque.

Vbi ſanè Maior mihi, & vt confido, cuiuis alteri, ſolida videtur. Minorem igitur ſolem probare debeo, probóque hoc modo. Is eſt Deo prædeſtinanti dignior, vt præ alijs prædeſtinetur, qui 1. propiùs accedit ad Vnionem Hypoſtaticam Chriſti primi prædeſtinatorum; qui 2. magis & arctiùs coniungitur MARIÆ Matri Dei proximè prædeſtinatæ; qui 3. electus eſt ad ſummæ dignationis munus, quod ſine pari gratiæ affluxu decenter obiri non poteſt; qui 4. iam inde à Conceptione ſuâ, ac deinceps per omnem vitam, pluribus priuilegijs gratioſam prædeſtinatoris voluntatem explicantibus, condecoratur; quíque 5. plures habet merendi occaſiones, motiua, media, & exempla. Atqui hæc omnia & ſingula de nullo magis, poſt IESVM & MARIAM, dici poſſunt, & debent, quàm de S. IOSEPHO. Eſt ergo idem inter prædeſtinatos prior,

prior, maiórque alijs omnibus, solô autem IESV & MARIA posterior ac minor.

At erit fortasse aliquis, qui in ordine prædestinationis constituendo dissentiat à me; negans scilicet, CHRISTVM ac MARIAM nisi præuisô Adami peccatô prædestinatos esse. Verùm, cum sequi non possum omnes, nihil vtique obstat, supponere magis placitam doctissimis viris opinionem, quæ etiam est Suar. in 3. p. q. 27. Disp. 1. S. 3. docentis nominatim MARIAM in Matrem Dei electam esse independenter à peccato.

Dico igitur vtrisque IESV, inquam, & MARIÆ, ipsâ suffragante Ecclesiâ, conuenire illa Prov. 8. v. 22. verba; *Dominus possedit me in initiô viarum suarum, antequam quidquam faceret, à principio. Ab æternô ordinata sum*, &c. At sicut MARIA, inquit, cit. Eckius, præuisa fuit ab æternô in Matrem Filij Dei, ita & IOSEPH in nutritium atque custodem IESV & MARIÆ electus, & conuenientibus huic officio donis ornatus est. Ergo &c. Atqui, subsumo ego, non potest inter præuisionem MARIÆ & IOSEPH concomitans in eodem gradu paritas constitui. Est enim, sicut MARIA propter IESVM, ita ipse propter MARIAM & IESVM præuisus. Satis ergo est, constitui propinquitatem, vi cuius nihil inter eos mediet, seruato tamen cuilibet, vti dignitatis, ita prædestinationis gradu, quam Elogij nostri titulus præsefert.

Sed hîc obiter rogabis, fueritne S. IOSEPH gratis prædestinatus, an propter merita præuisa?

Respon-

Respondeo hoc quoque decidi debere ex priuatâ cuiusque de prædestinatione sententiâ. Est autem mea, *gratis* illam fieri factámque de facto esse ad gratiam formaliter, & ad gloriam virtualiter; *propter merita* autem *præuisa*, ad gloriam formaliter. At non est Ratio, cur hinc IOSEPHVM, aliúmve, excipiam. Hoc ergo eodem prædestinationis genere ipse quoque prædestinatus est.

ELOGIVM II.

IOSEPH

Sanctificatus in vterô maternô.

NEquaquam, vt videri posset, pauci sunt, præsentis veritatis, siue testes, siue Auctores. Illam enim admittunt Carthag. lib. 4. hom. 3. & lib. 18. hom. 14. Gerson. Serm. de Nat. B. V. & 3. part. Alphab. 59. lib. 2. vbi id se legisse dicit in officio Hierosol. Iacobus de Valentia super Magnificat. Eckius in hom. 4. de Conceptione MARIÆ, & hom. priore de S. IOSEPH. Villegas in flore SS. Barry mihi fol. 110. Bernardinus de Bustis part. 4. Serm. 12. Cotonus conc. 4. de S. IOSEPH, Barrad. l. 6. c. 8. Polius in Hist. SS. Ioachim & Annæ part. 1. § 23. citans Bessæum, & Coppenstein. Salmeron tom. 3. tr. 28. pag. 244. & quem nancisci non potui, Isidorus Isolanus de S. IOSEPH cap. 9. & 10. citans pro se Theophilum, & Chrysostomum. Tandémque Cornelius à Lap. in cap.

in cap. 1. Matth. fol. mihi 49. *Sanè*, inquit, *si Deus post B. Virginem illud alicui alteri ex initio recensitis dedit*, S. IOSEPHO *eius Sponso idipsum non negâsse videtur*; nempe eum, quoque sanctificatum in vtero materno esse.

Atqui (subinfero) testimonijs legitimis, quibus alia censerentur sufficienter probata, ostendi potest non solùm recensitos à Cornelio, sed alios quosdam in ipso vtero materno sanctificatos esse. Idem ergo etiam de nostro IOSEPHO prudenter credi potest.

In hoc Cornelij, meóque discursu, fundant se fere omnes citati; & meritò. Quo enim persona est major siue ratione officij, siue ratione gratiæ & sanctitatis, eo magis credi potest accepisse priuilegia illa, quæ alijs minùs dignis concessa sunt. At est S. IOSEPHVS, vt probat Suarez Disp. 8. Sect. 1. & 2. & ego hîc ex ipso suppono, vtroque modo maior alijs MARIA minoribus; & tamen inter priuilegia ijsdem concessa etiam hujus præfestinata sanctificatio probari potest legitimis testimonijs. Ergo eandem etiam IOSEPHVS accepit.

Hîc ego non ignoro, negaturum te, qui hoc, de quo sermo est, priuilegium IOSEPHO abiudicas, idem esse vlli alteri, præterquam Hieremiæ c. 1. v. 5. & Ioanni Baptistæ Luc. 1. v. 22. datum. Vbi equidem primò siue à minori ad majus, siue à pari argumentari pro IOSEPHO possum. Est enim, vt fatetur, cit. Suar. ijsdem dignior; est saltem æ-

que

què propheta magnus in Iſrael,vt Abulenſis ſuper Matth. oſtendit; &c.

Verùm quia hæc alibi aptius tractandā ſunt, ſolùm oppono Catalogum eorum, qui præter illos â Scriptura ſacra nominatos de facto ſanctificati ſunt in vtero matris.

Ac primus quidem eſt Iacob Patriarcha,apud Ambroſ. l. 4. de Fide cap. 4. & alios. 2. Moſes, apud Ephrem in Orat. de Transf. Chriſti. 3. Iacobus Apoſtolus frater Domini apud Epiphanium, hæreſ.29. 4. Aſella Virgo apud Hieronym. in epiſt. 15. ad Marcellam. 5. Victor apud Bernardum Serm. de eius vita. 6. Nicolaus Epiſc. apud Antoninum in 3. p. Sum. tit. 18. §. 5. & 6. 7. Dominicus, apud eundem cit. locô. 8. Georgius Epiſcopus Suellens. apud Dimaſerpi in apodixi illius. 9. Pontius apud Surium tom. 7. 14. Maij. 10. Nicolaus de Rupe Eremita Helvetius apud Hugonem, in eius vita. Samſonem quoque alij & S. Paulum producunt. Verùm deſunt de ijs legitimi teſtes. Et ſufficere poteſt allatus denarius; cui vniuersè nemo opinor niſi iuſto ſeuerior derogare poterit ſub tantorum teſtium authentico Inſtrumento.

ELO-

ELOGIVM III.

IOSEPH

Sine fomite Concupiſcentiæ natus.

NOn eſt vtique neceſſe, vt Auctores tibi ſemper omnes affirmantes exhibeam. Sicut ergo in militari acie, ita in hoc Scholaſticô certamine alij alijs ſubſtituentur. Stant nunc pro IOSEPHO Gratianus l.5. tit. 1. fol. 414. Salmeron tom. 3 tract 29. Caniſius l. 2. de Virg. c. 13. Carthag. l. 18. Hom vlt §. 1. & Gerſon in Serm. de Nat. B. V. Conſid. 3.

Horum autem Rationes aut reipsâ ſunt, aut eſſe poſſunt ſequentes. 1. Fomes concupiſcentiæ res eſt admodum fæda, & indigna Patre Filij Dei, & conſequenter ipsô hoc Filiô. Ergo prudenter ſtatui in IOSEPHO non poteſt. Vbi Conſequentia manifeſta eſt, quia ſicut *gloria filiorum patres eorum*, Prov. 17. v. 6. ita viciſſim, dedecus. Antecedens quoque ex SS. Litteris ſatis apertè colligitur. Fomes enim concupiſcentiæ dicitur in 2. d ſt. 30. *tyrannus* à Baſilio, *innatus Dæmon omnia ſuadens*; à Chryſoſt. *Lerna ſerpens multiceps*, in 1. Petri 2. v. 11. *carnale deſiderium aduerſus animam militans*; ad Rom 7. *Lex peccati, quæ eſt in membris noſtris*, imò & *habitans in nobis*, inſtar radicis, *peccatum*; atque etiam ad Rom 6. *regnans peccatum*, quoad inclinationem, *in noſtrô mortali corpore*. Cuiuſmodi rem, eſſe inprimis fædam, indignámque quis neget? Si enim

 talis

talis eſt fomes ignis terreni, quia diſponit ad com-buſtionem, quanto magis talis erit ignis infernalis fomes. Atqui fomes peccati fomes eſt infernalis ignis, hoc eſt peccati mortalis; quod hoc igne punitur. Si ergo Filius Dei præſumi non poteſt, permiſſurus adhærere patri ſuo fomitem terreni ignis; quomodo ignis infernalis ac peccati fomitem eidem adhærere patiatur?

2. Traduci allata Ratio etiam ad MARIAM IOSEPHI coniugem poteſt. Vti enim huius & aliarum matrum proprium eſt, obſeruare ignem, ne quà ex fomite foras emicet cum periculo domûs, ita huius Deum parientis Sanctiſſimæ Matris, multò eſt proprium magis, illum alterum ſibi ac filio ſuo moleſtiſſimum fomitem maturè extinguere; idque de facto alijs Sanctis, ijs maximè qui ad familiam Chriſti propius acceſsêre liberaliſſimè præſtitit.

Sed hoc vlterius non vrgeo, quia offert ſeſe peculiaris neceſſitas virginei Matrimonij, ad quod propter præuiſam Chriſti Incarnationem non ſolùm MARIA, ſed etiam IOSEPH, ab æterno, & ante omnem creaturam, prædeſtinatus eſt. Intereſt nempe amborum iſtorum coniugum, vt ſeſe inuicem Virgineè ament, aſpiciant & procurent, itémque nè aliò oculos manus animúmque inclinent. Hoc autem quàm difficile eſt, in eo, qui fomite accenditur? Vt enim nil dicam de ipsâ MARIA Virgine, quam Salazar in lib. de immacul. Conc. c. 28. §. 2. cum Vaſq. Suar. Valent. Barradiô & Cani-

Canisiô, propterea à fomite liberat, dic, obsecro, an non in hac triginta annorum commoratione magnum parere impudicitiæ ignem potuit fomes omnibus ac singulis IOSEPHI membris innatus? At ego tamen de Virgineâ coniuge nil dico, quæ, vt alibi ostendam, cuicunque alteri puritatem se dignam afflare potuit. Solùm æstimo plus nimiô fragiles intuentium oculos, etiam perfectæ castitati aduersantes, in occasionibus innumeris, per quas penetrare se virtus nonnisi homine major contra innatum hunc hostem potest.

3. Suadet etiam hanc à fomite immunitatem ingens IOSEPHI cum MARIA Coniuge sua necessitudo. Vtique enim talem *Virum* ipse Deus eidem tradidit, qualem suo exemplo dari voluit in Naturæ innocentis Lege. At Gen. 2. v. 18. Deus inquit, *faciamus Adæ adjutorium simile sibi.* Dum ergo IOSEPHVM MARIÆ tradidit Deus, voluit hunc esse *adjutorium simile* eidem. At hoc quî factum sit cogitari non potest, nisi in IOSEPHO quoque fomes, vel extinctus, vel saltem repressus sit. Verissimè ergò dicitur, IOSEPHVM sine fomite natum fuisse.

ELOGIVM IV.

IOSEPH

Nomini suo apprimè conformis.

NOn solùm hominibus, sed etiam Deo, magna inest nominum imponendorum cura, quam ipse etiam persæpe per Angelos prodidit.

didit. Vt enim nil dicam de IESV Filio Dei, quem eo nomine vocari, Dei nutu, præcepit MARIÆ & IOSEPHO Gabriel Seraphinorum Princeps Michaeli proximus, vt Cornelius à Lap. in Lucam tradit; MARIÆ quoque ac IOSEPHI nomina per Evangelistam Lucam cap. 1. conceptis verbis, idem nobis Deus commendauit; *Missus est, &c. ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat* IOSEPH, &c. *& nomen Virgini* MARIA. Ipseque, Lucas postea, & Evangelistæ alij, imò & Angelus Domini, repetitis vicibus his eos nominibus sæpiùs, honoris videlicet causâ, compellarunt. Quas vices numerent sanè illi, quibus magis est commodum; ego interim rimabor, mysteria in IOSEPHI nomine velut Granatensi pomo recondita.

Et 1. quidem offert sese vnanimi Auctorum consensu illa Iacobi patriarchæ interpretatio; qui dum Genes. 49. benediceret filio suo Ioseph, *filius*, inquiebat, *accrescens Ioseph, filius accrescens, & decorus aspectu.* Talem enim filium significat hoc ipsum Ioseph nomen; & in se tam congruè expressit noster IOSEPH, vt non solùm *accrescens*, sed *augmentum Domini* (quod eodem nomine denotatur) dici mereretur. Nihil nempe tam magnum est, quod intra se non contineat *augmentum istud.* Est enim in eo dignitas Patris, dignitati Matris (quam S. Thomas in 1. p. q. 25. a. 6. ad 2. inter ea ponit, quæ habent dignitatem infinitam; quâque melius aliquid fieri nequit) proxima; est itidem dignitas Sponsi, quâ licet non sit par Sponsæ suæ omnibus

in re-

in rebus, est tamen par Conjugij vinculo,& similis castissimo corde, àmore, affectúque; est adhæc affinitas inita cum Spiritu Sancto, de quo conceptus est IESVS in ejusdem Virgineâ vxore; est denique vniuersus Virtutum chorus, tali Patri, Viro,& Affini in eo gradu debitus, vt ne quidem mente assequar, in quo præterea assurgere possit.

Adhæc IOSEPH à Mayrone dicitur idem esse, quod *Domini iustus*. In quo idipsum, quod Matth. cap. 1. habetur impletum video, IOSEPH *autem vir ejus, cum esset iustus*,&c. De quâ iustitia suo tempore agam, id vnum hoc attigisse contentus, quod IOSEPH non tam suâ & coniugis causâ iustus fuerit, quàm Domini, cui se vt Auctori iustitiæ perfectissimè submisit.

Iam verò IOSEPH, siquidem Paulo de Barry Viro æquè docto, atque in ipsum deuoto subscribam, etiam *arborem pulchram, & ramum fructiferum prope oculum* significat. Instar enim arboris pulchræ, in qualem sinapi in Syria crescit, extendit quaquaversus se, obversans ante oculos MARIÆ ac nostros, ita vt in ramis eius fructiferis crescant volucres cœli, hoc est homines scientiâ & sensu sublimes; itémque Reges & Principes cœlitus electi; atque ij qui se sanctorum desideriorum alis identidem in cœlum ad IOSEPHVM attollunt. Quæ dum attenta mente ruminarè hîc loci diutiùs non possum, simul omnia Concionatoribus relinquo.

Quibus denique velut auctarium adijcio Bartholomæi Riccij quatruplicem expositionem; dum

IOSEPHVM interpretatur *profectum* , *parcentem*, *eleuatum*, atque *existentem*. In quibus angustiæ temporum non sinunt me immorari. Verbo tamen indico, quod volo. 1. *Profectus* est de loco ad locum prope assiduè. 2. Inimicis, & inter hos vtrique Herodi promptissimè *pepercit*. 3. Ipse quoque est cum anima & corpore *eleuatus* in cœlum, vt ostendo Elog. 60. Demum 4. *Existentiâ* dignissimus fuit, vtpote spectans ad primam Hierarchiam Creaturarum, vt docet Barry cap. 3.

ELOGIVM V.

IOSEPH

Ab omni peccato actuali immunis.

PAulatim procedas, oportet, cùm periculum est, ne impingas. Et hoc ipsum tamen non sufficit semper, sed tibicine, quô te fulcias, est opus; itémque Duce, qui te dirigat. Igitur, cùm periculum huic ipsi Iosephino Elogio immineat, aut imminere videatur, incipio primò à minimis, & gradum protollo ad maxima, quæ sine minimis consistere non possunt. At minimum, quod docere de IOSEPHO possum, est immunitas ab omni peccato actuali mortali. Quam illi immunitatem tribuunt expresè penè omnes ij, quorum operâ præcipuè vtor; Gerson, inquam, Bernardinus de Bustis, Carthag. Gratianus lib. 5. mihi fol. 415. citans S. Augustinum, Barry, & alij. Nec video, quî

saluô

ſaluô hominis Chriſtiani officiô diſſentire poſſit quisquam. Cúm enim ex vnâ parte Matth. 1. v. 19. dicatur apertè iuſtus, ex aliâ nullibi dicatur aut probetur iniuſtus, temerarius ſim, ſi adhuc audeam dicere IOSEPHVM fuiſſe peccato mortali infectum.

Vbi tamen ego abſtraho à dignitate tanti Viri, eiuſque compertâ ſanctitate, alijsque, quæ ſanctitatem ac dignitatem ſecutæ ſunt, prærogatiuis; ſed pono IOSEPHVM hominem eſſe nobis prorſus ignotum, ſolô tamen digito Dei ſcripto teſtimonio commendatum, quô ſignificatur omnibus eum eſſe Virum iuſtum. Fas igitur nemini Chriſtiano, saluâ proximi charitate, imò & iuſtitiâ, eſt, immunitatis ab omni peccato actuali mortali famam, fidémque, ſine ſufficiente fundamento, eidem auferre

Iam autem progredior per deſtinatum iter; & dico 1. Si quis doceat, aliquem fuiſſe, qui non ex viribus liberi arbitrij, ſed ſingulari gratiæ priuilegio peccata omnia venialia vitauerit, eum nec temerè, nec pernitiosè errare. Sed hoc tu mihi forte non credes, qui teſtibus magis, quàm Rationibus mouèris. Igitur exhibeo tibi S. Auguſtinum lib. de Spir. & litt. cap. 2. & epiſt. 95. Paratúsque ſum Suarez, ſi exegeris à me, veluti publicæ fidei Notarium producere, ipſumque adeò Auguſtinum monſtrare, vnde diſcas totidem verbis propoſitam Concluſionem.

Dico igitur 2. Ioannem Baptiſtam de facto

vitauisse omnia peccata venialia. Id enim me docent Galatin. l.7. de Arcan. cap.9. & Catharin. opusc.2. de Christi prædestinatione. Censétque Suarez Disp.24. S.4. hanc opinionem probabilem esse, licet oppositam, ipse, vt probabiliorem, sequatur.

Dico 3. IOSEPHVM, de quo mihi sermo est, sanctitate ac dignitate maiorem esse S. Ioanne Baptista. Hoc iterum nolo, vt credas mihi. Elogium enim 72. tot tibi Auctores ac testes huius adducit, qui, si iure experireris mecum, conuincere te possint, apud æquum judicem.

Dico 4. Nec me, nec quemquam alium ex SS. Litteris, probare posse, IOSEPHVM non vitâsse omnia peccata venialia. Idque vtique tam certum est, quàm certum est, nec me, nec quemquam alium ex SS Litteris posse contrarium probare, scilicet vitauisse omnia.

Dico 5. Neutrum non solùm me, alióſque ex SS. Litteris, sed neque ex SS. Patribus, aut Ratione verè Theologicâ probare posse. Neque hic Auctorem exhibeo; quia licet moraliter impossibile sit, vitare omnia, non est tamen impossibile vi gratiæ & priuilegij, vt patet tum ex dictis, tum, vt puto, ex communi Theologorum doctrinâ.

Dico denique 6. In nullo Sancto post B. Virginem, atque in IOSEPHO, tot tantásque gratias invenisse me; prout probant pleraque Elogia nostra; ac consequenter, præ alijs omnibus, IOSEPHVM, piè iustéque tamdiu haberi debere immunem ab omni actuali, tum mortali, tum veniali peccato,

cato,

cato, quoad aliquis pro opinione opposita sufficientem fidem, & quidem meis congruentijs, quas mihi certas ob causas reseruo, maiorem afferat. Tu autem Lector vides, stetisse me promissis; scilicet paulatim, ac cum comitibus & ducibus incessisse me, vt periculum magnopere timere non debeam.

ELOGIVM VI.

IOSEPH
Plenus Gratiâ.

SI verè IOSEPH plenus est gratiâ, nihil jam obstare poterit, quò minùs, imitatione Angeli, Elisabeth & Ecclesiæ Catholicæ, ipsum quoque salutem. *Ave* IOSEPH, *gratiâ plene*, &c. Verbis Angelicæ Salutationis ad Ipsum à MARIA Conjuge, exemplö jam per libros vulgatô translatis, quemadmodum initiô Lucubrationis nostræ legere potes, At plenum esse gratiâ, etiam Theologica Veritas esse potest. Vt enim à minoribus ascendam ad maiora, plenitudo gratiæ in genere potest esse, sine præjudicio Fidei; imò debet alijs IESV & MARIA minoribus sanctis concedi; vt Stephano Act. 6. v. 8. *Stephanus autem plenus gratiâ.* Et Romanis in Epist. Pauli c. 15. v. 14. *pleni estis dilectione.* Atqui IOSEPH ex omnibus Sanctis proximè accedit ad IESVM & MARIAM. Post istos igitur, nemo magis, quàm IOSEPH, gratiâ plenus est, dicique potest, etiam sine Fidei præiudicio.

Sed jam vlterius inſpiciam, quæ tandem illa ſit plenitudo IOSEPHO ſi non debita, certè conueniens. Inprimis nihil ei admixtum eſt mali. Oſtendi enim immunem eſſe ſaltem ab omni mortali actuali peccato; quod ſolum, poſt dimiſſum peccatum originale, gratiæ ſecundùm Theologos opponitur. Inſuper verò, quidquid boni gratiæ ineſt, participat præcipuè IOSEPHVS. Id quod tum ex grauium Auctorum fide; tum deinde principijs ab omnibus communiter receptis deduco. Ac 1. ſaltem in vtero ſanctificatum eſſe docent Elogio ſecundo citati. 2. Confirmatum in gratiâ fuiſſe poſt Gerſonem in Ioſephina & alibi affirmant Barrad. l. 6. concord. cap. 8. Gratian. l. 5. de IOSEPHO c. 5. tit. 1. Carthag. l. 18. Hom. vlt. §. 1. Paulus de Barry c. 5. 3. Vſum rationis in infantili ætate acceleratum illi eſſe tradit Cotonus Conc. 4. § 2. mihi fol. 50. 4. Gratiâ & Gloriâ ſuperiorem eſſe Apoſtolis, & Ioanne Baptiſtâ, defendunt Franc. Suarez Diſp. 9. S. 2. Cornel. à Lap. in Matth. cap. 1. & alij infra Elog. 69. & 70. ac 71. citandi, vbi eum etiam ſupra Angelos extollam. 5. Propter magnitudinem gratiæ, præparatam illi in gloria à Patre cœleſti iam inde ab æternô fuiſſe ſiniſtram IESV dextrâ Matri relictâ; ideóque hunc Zebedæi filijs Matth. 20. dixiſſe; *Sedere ad dexteram vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo*, MARIÆ nempe & IOSEPHO; probat Carthag. lib. 4. Hom. 8. in fine comparans Patrem æternum, inſtar Tobiæ Senioris

penſan-

pensantis merita Angeli in iuniorem Tobiam collata, hunc honoris gradum IOSEPHO optimè de Filio merituro decernentem.

Cæterùm principia, vnde præsumi plenitudo gratiæ IOSEPHO superfusæ possit, hæc sunt. Primum est S. Thomæ in 3.p.q.27.a.4. Illos, quos Deus ad aliquid eligit, ita præparat & disponit, vt ad illud, ad quod eliguntur, inueniantur idonei. At officium, ad quod elegit IOSEPHVM Deus, est maius cuiuscunque alterius Sancti officio; vt docet Suarez cit. 2. Quô quis gratiæ & ijs qui gratiam dispensant, propior est, eô vberiorem gratiam participat. At hic est IOSEPH proximus IESV & MARIÆ, qui gratiam dispensant. 3. Conuenit, non solùm in corpore, sed etiam in moribus & animô similitudinem maximam esse inter virum & coniugem diuinitus desponsatos. At tales sunt IOSEPH & MARIA. 4. Gratiæ plenitudo, commensuratur amori diuino. Atqui inter IESVM, MARIAM, & IOSEPH amor, omniũ Sanctorum amore, maior est. Amandi enim media ac motiua singularia habuit. 5. Infimum supremi semper est supremum infimi, vt inductione in Physicis Philosophi probant. At eadem est ratio in moralibus. Moralis autem ac supernaturalis supremæ Hierarchiæ, quam cum IESV & MARIA constituit, IOSEPH est infimus; vt ostendit Barry cap. 3. ex Gersone Serm. de Nat. B. V. Ergo &c.

ELO-

ELOGIVM VII.

IOSEPH

Particeps omnium Benedictionum.

MARIAM benedictam esse, Fides docet; summè benedictam, Ratio Fidei innitens. Sed tamen Angelus Domini nonnisi, benedictam in mulieribus, pronunciauit, suum Sexui virili honorem relinquens, qui IESVM, MARIÆ Filium, agnoscit humani generis simul Ducem, & Redemptorem. Post ipsum quoque proximè incedit IOSEPHVS, paternô jure & amore benedictionem summam Viro conuenientem promeritus.

Sed vt ad vmbilicum metæ propiùs collimem, Conclusio mea est, IOSEPHVM, & meritum, & adeptum esse omnes benedictiones. Quæ Ratione magis, quàm auctoritate constat; quamvis neque ista desit, vt videre est apud Carthagenam lib. 5. Hom. 8. Sed hoc omissô potiùs in ipsos fontes scripturæ sacræ ingrediar; hic enim offerunt se nobis Benedictiones Iacobi Genes. 49. quæ suâ varietate videntur dici posse omnes. Illas modò percurram propriâ inuentione fretus.

Ac 1. IOSEPH Ruben est, & ipse primogenitus Iacob, verè *videns filium* omnium filiorum maximum; qui licet sit inter omnes viros fortitudo patris sui, est tamen in IESV inter bestias natô, circumcisô, & ad mortem quæsito, principium doloris ma-

ris maximi: prior in donis gratiæ, maior in imperio in IESVM & MARIAM exercito v. 3.

2. Simeon *audientem*, Leui *copulatum* sonans hoc vnum, quod significant, IOSEPHO æmulandum relinquunt; qui non tantùm audiens, sed obediens, nec tantùm copulatus, sed vnitus, imò vnus cum IESV & MARIA est, vt videbis Elog. 82. & 83. ideôque licet Simeon & Leui diris potius deuotus fuerit, ipse tamen haud dubiè magnopere benedictus fuit. Si enim beatus venter & beata vbera quæ IESVM exiguô tempore seruàrunt, beatus est vtique etiam IOSEPH, qui annorum 30. spatio eidem dies noctésque inseruiuit, v. 5.

3. Iudam qui *confessio*, siue *laudatio* est IOSEPHVS exprimit gloriosissimis factis; maximéque dignitate à nobis fratribus suis adorabili & fortitudine bellicâ contra hostes Spirituales, ac prouidentiâ totius familiæ suæ, nostrûmque omnium, demúmque ter felici aduentu Messiæ, qui dux de femore, siue genere ejus, egressus est, verè antiqua Gentium exspectatio, ligans asinam, Synagogam inquam, subjugali pullo per Gentes significato, lauans, in vino sanguinis, stolam carnis suæ & nostræ, palliô gloriæ vestitæ, à v. 9.

4. Zabulon *habitaculum* IOSEPHO, ac cum hoc IESV recens nato dedit. Ipse adeò IOSEPH habitaculum IESV dici potest, positum iuxta mare Galileæ, & vsque ad Sidonem siue *judicij navem* pertingens, v. 13.

5. Issachar duo significat; *asinum osseum*, siue fortem,

fortem, & *præmium*. Vtrúmque IOSEPH conuenit, vtpote fabro ad laborandum pro IESV nato factóque, indéque præmium exspectanti, v. 15.

6. Dan *Iudicium* denotat; vel vt alij volunt, *judicem*. Cujusmodi IOSEPH est, & nobis dat, non minùs, quàm tribus aliorum Sanctorum; qui etiam coluber est in viâ impijs, & instar cerastis Hæreticos in semitâ mordet, IESVM Saluatorem Mundi exspectans, v. 16.

7. Gad quoque *accinctus* & *felix*, IOSEPH est, prælians ante IESVM prælia Domini, semper armatus pro MARIA, v. 19.

8. Non minus Aser, ipsa *beatitudo*, exhibet IOSEPHVM; est enim IESVS panis eius in Eucharistiâ pinguis, & delicias Regibus præbet, v. 20.

9. Iam verò Nephthalim pro *colluctante* accipitur; qualis tunc IOSEPH noster est cum instar emissi cerui fugit Herodem, annuntians Ægyptijs aduentum IESV, & dans Eloquia pulchritudinis; tum eidem IESV, tum MARIÆ mulierum pulcherrimæ, v. 21.

10. Sequitur nunc *accrescens* Ioseph tam similis IOSEPHO nostro, sicut ouum ouo. Ex eius benedictionibus pro nostro faciunt Verba hæc. *Benedictiones patris tui Iacob, &c. fiant in capite Ioseph, & in vertice Nazaræi inter fratres*, v. 26.

11. Denique IOSEPH *filius dexteræ Excelsi* Benjamin est, instar rapacis lupi, mane ac vesperi, hoc est semper, propugnantis Ecclesiam, ac spolia diuidentis in amatores suos, v. 27.

ELO-

ELOGIVM VIII.

IOSEPH

Miraculosè desponsatus MARIÆ.

S. P. IGNATII effatum fuit, vt refertur in Direct. Exerc. cap. 15. fol. mihi 91. si miracula homini de statu vitæ deliberanti expetenda à Deo sint, eius vti voluntatem intelligat, expetenda esse pro matrimonij statu, cæteris statibus longè difficiliore, & ad finem Gloriæ diuinæ cuius causâ creati sumus, contingendum impeditiore. Quô minus sanè mirari possumus, Deum MARIÆ futuræ suæ Matri, Virginitatis voto, jam inde à prima ætate, obstrictæ per tria insignia miracula aperuisse viam, ad ineundum matrimonij statum. Quæ hic curiosæ Lectoris pietati, quantum per Patres licet, repræsentare animus est, notísque nostris illustrare.

Ac 1. comperto MARIAM Virginem æterno Deo, eo, quo dixi modo consecratam esse, Pontifex, de Sacerdotum consilio, ipsúmmet Dominum, quid fieri vellet, consuluit. Ibi repentè de oraculo & propitiatorio audita coram omnibus vox Domini est, Isaiam requirerent, illíque Virginem nuptui ac custodiæ virginali traderent, in quo impleta cernerent eius verba cap. 11. *Egredietur Virgo de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini.* Ita Castrius ex Hieronymo, de ortu & educ. Virg. Cuius quidem hoc opus esse, dubitant aliqui. Sed tamen consentire in rem viden-

videntur Patres alij; Gregorius, inquam, Nyssenus, Simeon Metaphrastes, Nicephorus, Epiphanius, & Cedrenus ab eodem Castrio citati, qui omnes Sortis interuentu cognitam Dei voluntatem testantur. Idque planè verisimile est factum, tum ob rei, quæ agebatur, magnitudinem, tum ob consuetudinem eius temporis, quo etiam vltro ad Sortiendum, & oracula exquirenda se Deus offerebat, vt patet ex Num. 17. Iosue 7. 1. Reg. 10. Act. 1. multisque alijs Scripturæ Sacræ textibus.

2. Adhæc Virgo votum suum, vtpote ipsum quoque diuino nutu susceptum, apud se pensans, cùm quid ageret, non haberet, etiam ipsa confugit ad Dominum supplex atque obsecrans, ne quæ semel habuisset rata, rescinderet, mutaretque in vsus à summâ puritate, quam sectari statuisset, alienos. Nec diutius, Deus Virginem toto mundo cariorem sibi, moratus est; sed *Noli*, inquit, *metuere Virgo: quàm supra omnes prouidentiâ meâ complector, Virúmque mihi placitum, ac Tibi, licet Virgini æternùm permansuræ, placiturum semper, de Sacerdotum ac Pontificum manu accipe.* Insinuat sanè apparitionem hanc S. Thom. in 3. p. q. 29. a. 1. ad 1. Castrius quoque apertè in Desponsationis historiâ refert; qui similiter cap. 3. probat ex Patribus, MARIAM adhuc templo seruientem, frequenti fruitam Angelorum alloquio, complura Fidei mysteria diuinitus accepisse. Et quidem in hac Conscientiæ grauissimâ causâ (*vouentibus enim Virginitatem*, teste Hieronym. in 1. ad Tim. cap. 5. *non solùm nubere, sed etiam velle, damna-*

damnabile est) apparitio aliqua , etiam necessaria, erat.

3. Demum Pontifex dicto die, cùm nonnisi de Dauid familiâ domóque MARIA stirpis vnicæ, & paternorum hæredi bonorum, Virum dare posset, iussit adesse, quotquot inde descenderent, conjugio aptos; Virgámque aridam manu prætendere. Adfuit tum inter alios IOSEPH, & ipse Virginitatis retinendæ certus; qui primò Virgam, quâ poterat arte, abscondit; dein verò Sacerdotum imperiô eleuans, enimvero seipsum clarissimè prodidit. Nam & floruit confestim Virga ; & columba de cœlô advolans, eius apicem insedit; itaque Virgini eventum subtimidè præstolanti IOSEPH Sponsus adiudicatus fuit. Ita denuò Hieronym. Cui aliud quod addam non est, quàm id temporis, Deum non solùm tanti, sed pluris etiam fecisse desponsationem hanc, quam olim Aaronis Pontificis electionem fecisse legitur. Num. 17.

ELOGIVM IX.

IOSEPH

Felicissimus Sponsus.

ABstraho modò, solàne de futurô sponsalia, an etiam de præsenti , contraxerit IOSEPH à reflorescente aridâ Virgâ manifestatus. Id namque proximè examinabo. Nunc autem id vnum declarandum est , quibus ex caussis supremus

 huma-

humanæ felicitatis gradus eidem IOSEPH ob hæc sua Sponsalia tribuatur. Inprimis tractârunt ante me argumentum istud Barrad. l.6.cap.8. Ribaden. in festo S. IOSEPH, Cornel in cap.1. Matth. Carthag. lib.4. Hom.5. & Suarez Disp. 8. S.1. Ex quibus me doctrinam meam, certè occasionem eius accepisse, gratus profiteor.

Igitur 1. Felicitas Sponsi IOSEPH est in eô ordine, in quo est felicitas Sponsæ. Correlatiua enim sunt. At est felicitas Sponsæ MARIÆ, etsi nunquam peperisset, summa, propter eximia Gratiæ & Naturæ dona. 2. Eadem correlatiua est felicitati Matris Dei, quæ sola summam gratiam inter puras creaturas inuenit apud Deum, quem peperit ipsi, tanquam Viro suo. De quo Viro S. Ioannes Damascenus Cant. 3. in Natiuit. B.V. *Dicu*, inquit, *illum virum* MARIÆ, *hoc est prorsus ineffabile, & nihil praeterea dici potest.* 3. Peccatum quoduis, & quidquid aliud speciali modô refertur ad Deum, accipit inde infinitatem aliquam, siue malitiæ, siue bonitatis. Atqui post MARIAM, & cum MARIA, refertur IOSEPH præstantissimô modô ad IESVM Dei filium, eius cum humanâ naturâ hypostaticam vnionem cõseruando, gubernando, nutriendo, &c. 4. Quæ felicitas importat intimam communicationem supremæ felicitatis, ea quoque suprema indidem est. At est IESV & MARIÆ felicitas suprema, & huius vtriusque intimam communicationem importat felicitas IOSEPHI; vtpote Patris, & Viri. 5. Summam oportet esse felicitatem

eius,

eius, qui, bonum, quô quis, nonnisi perbreui tempore perfruens, ad ipsum felicitatis fastigium ascendit, possidet stabiliter per annorum plurimorum decursum. At sic ascendit Ioannes Baptista vnicâ Virginis salutatione, ac IESV nondum nati vicinitate, exultans, prophetizans, muti patris resoluens linguam, & in maternô vterô sanctificatus. 6. Huc etiam accedit, quòd si qui partem thesauri occupat, felix sit, erit vtique summa felicitas illius, qui totum iure & reápse possidet. At est felix Ioannes, cui IESVS pectus; Maria Magdalena, cui caput & pedes; Thomas, cui latus; Simon Cyrenensis, cui crucem; Petrus, cui claues; Martialis postea Lemouicensis Episcopus, cui brachia; Veronica & Abagarus, quibus faciem syndoni impressam dedit. 7. Qui eorum, qui viuendi genere æquales sunt Angelis, & filij Dei sunt, ac filij resurrectionis, caput & Dux est, illius est felicitas suprema. At Virgines (pro maribus ac fæminis accipio) vtpote cum neque nubant, neque nubantur teste IESV apud Luc. cap. 20. v. 35. sunt tales; & earum caput & Dux est IOSEPH primus omnium ad Virginitatis votum à Virgineâ suâ Sponsâ inductus; de quo Elogio 14. pluribus agetur. 8. Eius est felicitas summa, cuius vita & mors est felicissima. At est vita & mors IOSEPHI felicissima propter alloquium, aspectum, conuictum, exemplum, magisterium, & auxilium IESV, quô supra mortales omnes, longissimo tempore, ad ipsam vsque mortem fruitus est; adeô vt cum triduo vnico ab-

esset, eum officij paterno maternóque jure admonere auderet Virgo. *Fili quid fecisti nobis sic? Ecce Pater tuus, & ego, dolentes quærebamus te.* Luc. 2. v. 48.

ELOGIVM X.

IOSEPH

Vir MARIÆ, de quâ natus est IESVS, qui vocatur Christus.

FUêre olim Doctores non contemnendi, qui nescio quô Zelo abrepti docere sunt ausi, Sponsalia, non matrimonium inter IOSEPH & MARIAM intercessisse; Eos nunc tempora nostra communi consensu, vel omnino damnant, vel opportunô moderamine interpretantur, solùm negâsse consummatum matrimonium. Cum his igitur interpretibus propugno; & ego matrimonium ratum IOSEPHI cum MARIA. Ita post S. Thom. q. 29. a. 2. & alios bene multos Canisius l. 2. c. 11. Salian. mihi folio 760. Suar. in cit. q. S. Thomæ. Cornel. à Lap. & Barrad. in cit. c. Matth.

Ad id autem mouet me 1. quia verba Scripturæ Sacræ vt S. August. de Gen. ad lit. cap. 1. & 7. & sæpe alibi, cum Basil. hom. 9. in Hexameron, docet, & ipsa conuincit ratio, semper in sua propria significatione accipienda sunt, quando nullum inde sequitur absurdum. At est verborum Scripturæ propria significatio, quòd IOSEPH contraxerit cum MARIA Virgine matrimonium. Non contrahi-

trahitur autem consummatum. Ergo si nullum inde absurdum sequitur, contraxit matrimonium ratum. Probo verò jam contraxisse; Primo, quia Virgo dicitur desponsata Viro; & Vir, MARIÆ. Atqui Sponsus cum de matrimonio est sermo, non dicitur propriè vir, sicuti Sponsa non dicitur conjunx. 2. Quia non potest velle dimittere conjugem, qui conjugem non habet. At voluit occultè dimittere conjugem IOSEPH. Habuit ergo conjugem tunc. At hoc fieri sine matrimonio saltem ratô non potest. 3. Quia Christus etiam ab inimicis putabatur esse filius IOSEPHI, absque conuitiô illegitimi; ad quod proferendum utique sua eos in ipsum concepta rabies impulisset, si verè, extra matrimonium, natum esse comperissent. 4. Quia aliàs genealogiæ Christi arbor malè diceretur inniti IOSEPHO. In eâ enim Sponsalia de futuro neminem collocare possunt.

2. Mouent me Prouidentiæ diuinæ Rationes variæ, quæ nisi cum matrimonio rato nequaquam consistunt. Illæ autem sunt 1. Quia latere Dæmones oportebat Incarnationem Dominicam. At si IOSEPHVS vir egregiè Sanctus nullô matrimonij vinculo teneretur Virgini, longè adhuc magis pudicæ sanctæque, latere eos tam facile non poterat. 2. Quia haud sine scandalo, ne dicam periculo, potest diu Sponsus conuiuere Sponsæ suæ. At annis plurimis conuixit IOSEPHVS MARIÆ. 3. Quia malè consultum fuisset siue IOSEPHO, siue MARIÆ, siue etiam IESV, si indiuiduam vitæ societa-

tem non firmâssent perpetuo matrimonij nexu, æternáque relatione Filij, Matris, Patris, & coniugum. 4. Quia præsumi non potest, à MARIA IOSEPHVM, audiente Doctorum præcipuorum cætu, Patris nomen accepturum fuisse. Esset enim æquiuocatio, vt, quod minimum est, dicam, dedecens grauitatem Virginis. At accepit ab illâ clarissimis vtente verbis PATER TVVS ET EGO, &c.

3. Mouent me circumstantiæ multiplices, quæ, si bene ponderentur, non parum pro matrimonio rato sunt. Vt 1. Quia Lex Mosis non Sponsalia, sed matrimonium præscribit. 2. Quia Sacerdotes deuotam Deo Virginem & ab ipsis nubere coactam meritò timere poterant, ad nuptias non processuram, si à se liberam dimitterent. 3. Quia matrimonium figura est amoris summi, quô Christus in Ecclesiam fertur. At si non illud esset inter IOSEPHVM & MARIAM, nunquam data fuisset figura tanto mysterio vsquequaque idonea. 4. Quia decebat, non solùm Virginibus, sed etiam coniugibus proponi exemplaria Virtutis, quæ imitationis gratia inspicere possent. At dari melius hoc Virgineo matrimonio non potuit. Ergo.

ELO-

ELOGIVM XI.

IOSEPH

Verô, licitô, sanctóque matrimoniô MARIÆ Virgini obstrictus.

NOn parum interest IOSEPHI, eius cum Virgine MARIA matrimonium omni ex parte perfectum agnoscere. Si enim Gregorius Nazianzenus, Gorgoniæ Sororis suæ maritum laudaturus, exclamare est ausus in Orat. 11. *Vultis vnô verbô virum describam? Vir fuit illius; nec enim scio, quid amplius dicere necesse sit*; ad summam laudum maximarum faciet IOSEPHI, eum probare Virum MARIÆ fuisse. At hoc quis potest, nisi simul, ab iniuria omni, matrimonium eius vindicet?

Ain' ergo tu, verum non esse? vnde obsecro, id habes? An quia matrimonij essentia sine copulâ stare non potest? At ego tibi ostendo, stare posse. Nam 1. matrimonium, nonnisi in mutua corporum traditione & potestate, consistit. At potest traditio & potestas, sicut aliarum rerum, ita & corporum separari ab vsu; sæpèque de facto separatur, vt videre est in aliquibus Societatis nostræ Religiosis, qui etsi dominium retineant, v.g. hæreditatis paternæ, vsu tamen carent, impediti voto paupertatis. 2. Parentes primi in paradisô verum matrimonium contraxêrunt. At hoc ibi non consummârunt per copulam. Est ergo etiam matrimonium

ratum verum. 3. Florentinum Concilium quoque in decreto Eugenij ait, matrimonium perfici mutuo consensu. Et Trident. Sess. 24. disertè matrimonium ratum à consummato distinguit. Nihil ergo obstat, quominûs, etsi matrimonium IOSEPHI nonnisi ratum sit, verum tamen & validum sit.

Sed iam licitum esse, negabis forsitan. Quid ita autem? an quia de re non sua, de suis inquam corporibus Deo, per votum perpetuæ Virginitatis, traditis contraxêre? an quia, contra naturam matrimonij, corporum traditionem & potestatem, non ordinârunt ad id, cuius præcipuè causa sit; nempe ad copulam, sed potius excepêre contra illam, similes ijs, qui tibi panem donarent, cum conditione ne quis eo aliquando vescatur? an denique nimia sanguinis propinquitate impediti propter legem aliquam Mosis vetabantur contrahere?

At ostendo, nihil istorum iure dici posse. Nam 1. licet vtique contrahere de re non sua, si Dominus consentiat. At consensit hîc Deus, vt antè ostensum est. 2. Votum non importat obligationem Iustitiæ, sed solùm Religionis. Possunt ergo hæ duæ obligationes à se mutuò separari; potest inquam aliquis obligari ex Iustitia, quin obligetur ex Religione; & vicissim. 3. Dupliciter ordinatur matrimonium ad copulam. 1. Vt ad obiectum. 2. Vt ad effectum. At est posterior ordinatio merè accidentalis; prior verò sola essentialis, quam etiam Virginei coniuges habuerunt, quorum matrimonialis

nialis consensus directè ferebatur in traditionem & potestatem corporum, indirectè autem in copulam ijs per modum objecti connexam. Ita Dicastill. Disp. 2. à num. 20. 4. Instantia panis prorsus inepta est; quia ideo tantùm accipitur, vt nutrimentum habeamus. 5. Neque Lex vlla Mosis vetans adduci contra consanguinitatem potest.

Sic ergo, qui se adhuc matrimonio isti opponere velit, ad solam eius sanctitatem oppugnandam se vt conuertat, necesse est. At hoc quî tandem vel in speciem præstabit? Quid enim sanctius esse potest, quam vi Virginei matrimonij tutari famam Matris Dei; eámque cum IESV Dei filio custodire, alere, vestire, ac gubernare? Sola obstare bigamia sanctitati huic tantæ videtur posse. Verùm illam quoque ipsam non multò pòst indidem auferam, aptiore loco.

ELOGIVM XII.

IOSEPH

Dignus MARIÆ dexteram contingere, annulô ornare, ac eam pallio obnubere.

IOSEPHVM cum MARIA Matrimonium contraxisse, *Majorum more & ritu*, dubitari non potest. Est enim, id etiam jam inde à Lege Naturæ, Sacramentum, non illud quidem propriè tale, quod gratiam, quam vsu suo confert, significat, sed impropriè, quatenus est signum rei sacræ institutum à

Deo. At est, fuitque etiam olim Matrimonium, signum à Deo institutum amoris, quô per Christum Deus fertur in Ecclesiam, vt ex Leone Ep. 92. ad Rustic. cap. 4. & August. l. 1. de nupt. & conc. cap. 21. probat Coninc Disp. 24. dub. 2. n. 11. fol. 728. Idoneis ergo cæremonijs obire par erat, vt rectius sanctitatem signi exprimeret apud eos, qui minimos legis & traditionum apices studiosissimè sectabantur. Subsumo autem: At hæc, quæ titulo præscripta sunt, requirebat, siue Lex vetus, siue rectiùs traditio antiquissima Iudæorum. Non ergo ex illis aliquid prætermissum à IOSEPHO & MARIA esse, dici potest.

Ac 1. quidem Tobiæ 7. v. 15. vbi Raguel filiam suam dicitur secundum Legem Mosis despondisse Iuniori Tobiæ, habentur hæc verba. *Et apprehendens dexteram filiæ suæ, dextræ Tobiæ tradidit dicens: Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob vobiscum sit, & ipse conjungat vos, impleátque benedictionem suam in vobis, & acceptâ chartâ fecerunt conscriptionem conjugij.* At est Raguel juxta etymon nil aliud, quàm *Pastor Dei*, qualis hîc haud dubiè summus aliquis Sacerdos fuit conjungens eo modo Saram, MARIAM inquam, quæ verè est *Domina odoris*, Tobiæ, siue *bono Domino*, hoc est, IOSEPHO, quô melior Dominus post Deum nec fuit, nec est, nec erit.

Deinde annulum lego dedisse nouæ nuptæ Sponsum, Genes. 38. & quidem annulum aureum, Patrem prodigo filio cum nuptiali veste obtulisse, Luc. 15. Quæ tamen, fateor, haud satis conuince-

uincerent, imitatum eſſe IOSEPHVM. Verùm trahunt me alia, ac penè credere cogunt, Hiſtorias IOSEPHO proprias recenſentem. Cecinit enim iam dudum in Ioſephina diſt. 5. Gerſon;

Miro Parrhyſijs templum molimine ſtructum eſt.
Annulus eſt illic duplex, cui gemmula duplex,
Auro conſeritur tenui, quos, Virgo, ferunt te
Cum digitis aptâſſe tuis, eſt abdita Zona,
Incertum tibi vir ſi tradidit iſta ſubarrans.

Peruſina etiam ciuitas 22. Ianuarij, quô diuerſis in locis Deſponſatio MARIÆ cum IOSEPH feſta religione colitur, annulum eius pronubum aureæ capſæ vndecim ſeris incluſum venerationi publicæ exponit, prout ad annum Chriſti 1480. Bzouius commemorat.

Hîc autem mihi ſimul in memoriam venit ſymbolica annuli ſignificatio, quam ipſi puto IOSEPHO potuiſſe placere. *Annulus* enim, ait Beda, ſynceræ fidei ſignaculum eſt. Idem eſt vt refert Cornel. à Lap. in 15. Luc. fol. 197. col. 1. Chryſoſt. in Catena *ſignaculi ſalutaris Symbolum*; & in Gloſſa, *ſignaculum fidei*, quò ſignantur promiſſa in cordibus credentium; & Interlin. *Signaculum ſimilitudinis Chriſti, & expreſſio veritatis*; & Auguſtin. *Spiritus S. ſignum*: gratiæ enim participatio ſignificatur per digitum, in quô venulæ quædam ad ipſa cordis penetralia ducuntur; vt Anatomici apud Carthag. lib. 4. Hom. 5. tradunt; & habetur cap. fæminæ 30. q. 3. Quæ alij, vt volent, ingeniô excolere poterunt.

Sed

Sed me nunc vocat Iosephini pallii super Virginem expansio; qualem Ruth, *Saturata*, cap. 3. à Booz *fortitudinem* significante desponsationis causâ petiit. *Expande*, inquiens, *pallium tuum super famulam tuam.* Tegere nempe Vir debet prouidentiâ suâ coniugem, & velut pallio à tempestatibus integram seruare. Sed hîc meritô dubitas, annon potius virum texerit seruâritque MARIA coniunx. Certè propter hanc omnia pariter bona venerunt IOSEPHO, Sap. 7. v. 11.

ELOGIVM XIII.

IOSEPH

Primus Virginum, Conjunx.

OStendi, IOSEPH MARIÆ Virginis non solùm Sponsum, sed virum, coniugem, maritúmque ritè inauguratum fuisse. Superest modò, vt Virginem, & quidem inter Virgines primum coniugem fuisse demonstrem.

Et Virginem quidem fuisse, negabant olim non pauci Patres à Carthag. lib. 4. Hom. 3. citati, quos ibidem legere poterit, qui IOSEPHO diffidit. At affirmant remotô bigami conuitiô Virginem cum Virgine perstitisse, Hieronymus contra Heluid. *Tu dicis*, inquiens, MARIAM *Virginem non permansisse: ego mihi plus vendico, etiam ipsum* IOSEPH *Virginem fuisse per* MARIAM, *vt ex Virginali conjugio Virgo filius nasceretur. Si enim in virum sanctum forni-*

fornicatio non cadit; *& aliam eum vxorem habuisse non scribitur*, &c. *relinquitur Virginem eum mansisse cum* MARIA. Augustin. Serm. 15. de Natiuit. Beda in cap. 2. Ioan. & lib. 2. in Marc. cap. 23. Petrus Daman. epist. 11. ad Nicol. cap. 4. Anselm. in 12. & 13. Matth. & ad Galat. 1. Rupert. lib. 2. in Cantic. S. Thomas in 3. p. q. 28. a. 3. ad 5. multisque alijs locis. Gerson. in Serm. de Natiuit. B. V. Canisius, Suarez, Castrius, & communis, solis nunc Hæreticis exceptis, qui IOSEPHVM sibi similem mallent.

Porrò Rationes nostræ sunt; 1. Quia status gratiæ, quando perfectissimus est, simillimus est innocentiæ Statui, illi, inquam, qui fuit in paradiso. Atqui fuit is perfectissimus in IESV, MARIA, & IOSEPHO. Ergò Status gratiæ in IESV, MARIA, & IOSEPHO fuit simillimus Statui innocentiæ, siue paradisi. Atqui fuit Status hic Status Virginitatis. Ergò. 2. Qui moriens matrem suam nonnisi Virgini commendat, præsumi non potest eam viuens alicui alteri, præterquam Virgini commendauisse. At IESVS moriens matrem suam nonnisi Virgini commendauit; Ioanni nempè sub Cruce stanti. Ergò. 3. Si IOSEPH bigamus esset, magis esset dissimilis MARIÆ. Ergo non est dicendus bigamus esse. Consequentia patet, quia aliàs elegisset MARIA adiutorium minus simile sibi. Antecedens verò constat, quia vtique Virgo Virgini similior est, quàm bigamus Virgini. 4. Bigamia cor viri diuidit; auget curas, ministerium distra-

distrahit. Ergo IOSEPHO minus conuenienter tribui potest. 5. Ij, qui modò dicuntur fratres Domini, fuêre filij alterius Viri, & Matris, quàm IOSEPH & MARIÆ. Ergo filij IOSEPHI & MARIÆ esse non possunt. Antecedens probatur; quia sic Iacobus minor, & Iudas Thaddæus Apostoli, itémque Ioses siue Ioseph, & Simeon siue Simon, Discipuli, qui fratres Domini dicuntur, Alphæi siue Cleophæ, aut ab alijs Clopæ dicti filij sunt, nati matre, Maria Cleophæ, intellige vxore; de quibus Elog. 19. dicetur.

Iam verò posteriùs quoque propugnandum est, quòd scilicet IOSEPH primus Virginum conjunx fuerit. Vbi vtique Verba omnia simul componenda sunt. Nam primum Virginem fuisse, quis somniet? Præiuêre IOSEPHVM Abel à Caino occisus, Iosue, Melchisedec, Maria soror Mosis, Elias, Elisæus, Hieremias, Daniel, cuius corpus Damasc. lib. 4. de fid. cap. 25, ait, Virginitate ita obduratum fuisse, vt Leonum dentes infigi illi non potuerint; tres pueri Babylonicô igne superiores, Esseni, Virgines pro Salomonis templô excubantes, &c. vt Barrad. lib. 7. cap. 8. docet. Sólùm ergo ex Virginibus, quæ nempe Virgines perstiterint, primum fuisse coniugem IOSEPHVM pronuncio. Et Ratio est; quia nulla Virgo coniunx afferri prior potest. Quæ enim allatæ sunt, coniuges nunquam fuêre; vel cum ingressæ coniugium sunt, jam excidêre propositô Virginitatis, solâ morte præuentæ, ne prorsus priuarentur.

ELO-

ELOGIVM XIV.

IOSEPH

Primus Virginum æmulatus votum Virginitatis à MARIA emissum.

VIrginitas, religiosa nempe, perfecta, ac perpetua, vnius Ecclesiæ Christi singulare donum est, vt Canisius de B.V. lib.2.cap.12.fol.205. sapienter obseruat. Eô magis autem oportebat eos, qui primi Ecclesiam hanc, ipsó Duce, constituêre, hoc ipsum Virginitatis decus anteferre cæteris. At fuit inter hos IOSEPHVS dignitate, gratiâ, ac prærogatiuis facilè maior, vt fusè per complura Elogia docebitur. Non ergo idem decus abesse debebat etiam à IOSEPHO. At est consuetudo hominum vbilibet recepta, vt ea, quæ pretiosa sunt, annulô consignentur, serísve concludantur. Nihil autem Virginitate pretiosius est. Nihil etiam magis annuli seræque naturam exprimit, quàm Votum, quô Virginitas, & quæcunque alia Supererogationis, vt vocantur, opera, Deo consignantur, atque tam arctè connectuntur, vt neque ipsa à vouente, neque vouens à Deo auelli, vllo vnquam tempore, possit. Hoc ergo voto etiam IOSEPHVS Virginitatem suam, ceu annulo, serâve Deo consignauit.

Neque sanè est, quod à me quæras, quæ annulô isti imago incisa fuerit. Circumspice enim tem-

pus,

pus, quo eum primò fabricatus est. Nulla tum imago siue exemplar vouendi erat præter vnicam MARIAM Virginem. Hæc prima mortalium in eam cogitationem venit; prima, inquam, in ætate prima, templi Salomonici parietibus inclusa, se suamque Virginitatem voto consignauit. Docet hoc Abdias lib. 8. Hist. Apost. *Hæc Virgo*, inquiens, *cùm execraretur omnem Virum*, &c. *Virginitatis votum prima vouit. Primam autem ideo dixi, quia ex quô homo factus est ab initiô seculi, nulla hoc votum Deo obtulit. Hæc ergo prima inter fæminas constituit in corde suo, vt diceret: Domine, offero tibi Virginitatem meam; cùm hoc à nullo homine, nec verbô didicisset, nec exemplô* Ita Origines in cap. 1 3. Matthæi. Ambros. de instit. Virg. cap. 5. Gregor. referente Strabo, in 1. Lucæ. Ildephons. Serm. 5. de Assumpt. Beda lib. 1. in Luc. cap. 3. Rupert. l. 3. in Cantic. Honorius lib. 3. de æter. gaud. Albert. super Missus est cap. 82. Bernard. Serm. 4. de Assumpt. Bonav. l. 1. pharet. cap. 5. & alij; quorum verba Castrius cap. 3. & Carth. lib. 3. Hom. 5. prolixè referunt; quos perlegere, pretium est operæ.

Hanc ergo Virginem solam potuit IOSEPHVS statuere imaginem sui istius annuli, de quo agimus, & imitatione celeri suo corde imprimere. Sed quid dico, potuit? reipsâ statuisse, & impressisse, ait S. Thom. in 3. p. q. 28. a. 4. ad 3. & quidem communi vtriusque consensu. Plures autem alij præcisè docent IOSEPHVM vouisse. Quod ipsum tamen ad hoc, quod præcipuè intenditur, satis

ſatis eſt. Cùm enim matrimonium ex naturâ ſuâ ſit contractus mutuus, quô tam vir ſe tradit fæminæ, quam fæmina viro, neuter alteri præiudicare poteſt. *At* hoc haud dubiè fieret, ſi IOSEPH vir MARIÆ, traditum corpus, eâ vel inſciâ vel inuitâ ad alium transferret. Æmulatus ergo, ſiue exemplum coniugis, ſiue certè voluntatem, quod perinde eſt, credi debet.

Quæris autem, primúsne Virginum negativè ſit, an etiam poſitivè. Vtrumque affirmo; & illud quidem, quia ſaltem ex viris IOSEPHVM tali votô nemo anteceſſit; hoc verò, quia innumerabilis Virginum exercitus ſubinde huius ſui Ducis ſigna ſecutus eſt. In quo exercitu ſi de coniugibus tantùm Virgineis loquar, etiam inter illuſtres familias paria duodecim numerat Carthag. lib. 4. Hom. 5. At quanto maior eſt exercitus aliarum Virginum, quæ ſe æterno Sponſo, totô paſſim Mundô, nunc deuouent, tum intra Religioſa clauſtra, tum foris, ſequentes Agnum, quocunque ierit, Apocal. 14.

Eſt ergo & negativè & poſitivè, primus
Virginum Deo conſecrantium
ſe, IOSEPH.



D ELO-

ELOGIVM XV.

IOSEPH

Dominus MARIÆ, Dominæ ſupremæ.

INcomparabile ac prorſus ſingulare eſt, inquies, hoc IOSEPHI Elogium, ſi verum eſt. At verum eſſe vno tibi clariſſimo ſyllogiſmo demonſtrabo.

MARIA eſt Domina ſuprema. IOSEPH eſt Dominus MARIÆ. Ergo IOSEPH eſt Dominus Dominæ ſupremæ.

Nega mihi hîc, Sodes, quidquid voles; vnam excipio conſequentiam, quam te Logica docere debet. Sed in biuiô propoſitionum conſtitutus hærebis ſcilicet, vtram negare poſſis. Præueniam ergo te; & Maiorem ipſemet probo.

1. Mater Domini ſupremi eſt Domina ſuprema. MARIA eſt Mater Domini ſupremi, Chriſti inquam, cuius regni non erit finis. Ergo MARIA eſt Domina ſuprema. 2. Quæ Domina gyrum cœli circuiuit ſola, & profundum abyſſi penetrauit in fluctibus maris, & in omni terra ſtetit, & in omni populo & gente primatum tenuit, vt Eccleſiaſtici 24. v. 8. dicitur, ea vtique eſt Domina ſuprema. At talis Domina MARIA eſt, dominans cœlo, abyſſo duplici, purgatorij & inferni, fluctibus maris ventorum impetu agitatis, terræ quoque omni, omnîque populo & genti. Ergo MARIA eſt Domi-

Domina ſuprema. 3. Quæ dominium vniuerſale totius mundi, obtinet iure diuino, & naturali, meritis ſuis, titulo donationis, atque emptionis, ea eſt Domina ſuprema. At his omnibus modis illud obtinet MARIA. Hanc enim Deus vt Athanaſius verba Proverb. 8. v. *22.* legit, præfecit iam inde ab æterno initium viarum ſuarum. Huic ſe Chriſtus, vt filium Matri, ſuáque bona omnia, iure naturæ veriſſimè ſubiecit, vt Maldonatus in cap. 2. Lucæ agnoſcit, negans emancipatum fuiſſe ab æterno Patre. Hanc Anſelm. de excell. Virg. cap. 11. prædicat meritis ſuis cuncta reparâſſe, reparando ſcilicet genus humanum per ſe ac filium ſuum, quem peperit Deo, ac obtulit. Huic etiam, ſuus & Dei Filius, donauit omnia, ceu Salomon, hoc eſt, *pacificus*, Bethſabee, ſiue *domui iuramenti*, in quâ iurauit Dominus Domino meo, cum dicto 3. Reg. cap. *2.* v. 20. *Pete Mater mea: neque enim fas eſt, vt auertam faciem tuam*, ei ſcilicet cauſam præbendo auerſionis talis. Hæc deniquè, dum Carnem & Sanguinem Filio dedit, ſimul dedit pretium, quo dominium vniuerſale, emptionis titulo, ſibi compararet. Quamdiu ergo hæc ipſa Caro & Sanguis MARIÆ eſt, tamdiu eidem tribui debet vniuerſalis dominij emptio.

Simul minorem quoque probo. 1. quia, vt eſt in 1. ad Corinth. 11. v. 3. & ad Epheſ. 5. v. 22. *Caput mulieris Vir.* 1. Pet. cap. 3. v. 1. *Mulieres ſubditæ ſint viris ſuis*; Geneſ. 3. v. 16. *Sub viri poteſtate eris.*

2. MARIA istam mulieris subiectionem palàm professa est. Vt enim Brigittæ lib. 6. cap. 59. & lib. 7. cap. 29. reuelauit, IOSEPHVM Dominum suum compellabat & obseruabat. Ideóque Gerson in Serm. de Natiuit. *O miranda prorsus*, inquit, IOSEPH, *sublimitas tua, ô dignitas incomparabilis, vt mater Dei, regina cœli, Domina mundi appellare te Dominum non indignum putauerit.* Vbi mihi in mentem veniunt, quæ tibi quoque mi Lector venire volo, verba Christi ad Ioan. prolata Matth. 3. *Sine modò: sic enim decet nos implere omnem iustitiam.* Per ly, nos, quis magis intelligi potest, quàm ij, qui Christo coniuncti sunt. At nemo est coniunctior MARIA. Si ergo IOSEPH cunctabatur præcipere aliquid; sine, inquiebat modò, nos enim, IESVM inquam, & me matrem eius, omnem iustitiam implere decet. Igitur IOSEPH verè Dominus fuit MARIÆ Dominæ supremæ.

ELOGIVM XVI.

IOSEPH

Perpetuus Comes MARIÆ.

PRæterea hîc dignitatem Comitum, inter palatina aulæ officia iam inde à primis Cæsaribus relatam. De quâ, qui laudem IOSEPHO accersere velit, non est necesse, vt ad interiora doctrinæ cœlestis penetralia se inferat. Comitem ego perpe-

perpetuum MARIÆ IOSEPHVM ſtatuo, ſignificatione vocis omnibus, qui Latinè ſciunt, notâ; quod nempe, ex quo ſemel illi adiunxit ſe, nunquam abiunxerit amplius, niſi forſitan neceſſarij operis causâ, ad perbreue tempus, cuius interruptio non poſſit venire in cenſum.

At opponunt ſe opinioni noſtræ nec pauci Auctores, nec contemnendi; dicûntque fauere ſibi Luc. qui dum cap. 1. commemorat feſtinatam MARIÆ ad Eliſabetham profectionem, morámque trimeſtrem, IOSEPHI nuſpiam meminit; nec meminiſſe poſſe videtur, propterea quòd tum primùm, vbi in patriam reditum eſt, dicat MARIAM inuentam eſſe in vterô habentem de Spiritu Sancto.

An igitur tempori, foro, cauſǽque cedendum? Non ſinit me Veritas, vt cedam, nec prætenſa Ratio. Nam an Lucas omnium, quorum mente tenus meminit, etiam calamo vocéque meminiſſe debuit? Nonne S. P. IGNATIVS vir rerum diuinarum apprimè callens, cùm videret, non deeſſe, qui ſimili ex causâ negabant IESVM è ſepulchro reſurgentem ſuæmet matri apparuiſſe, in AVREO EXERCITIORVM LIBRO; obijci poſſe aſſeruit; *adhuc & vos ſine intellectu eſtis?* Tum verò quo quæſo in capite verſúque ſiue Lucas, ſiue Evangeliſta alius cogitationem illam de dimittendâ Virgineâ Coniuge, ait, animo IOSEPHI iniectam poſt reditum eius? Equidem nuſ-

piam vel verbulum reperio. Quid si ergo eidem IOSEPHO Angelus Domini à Matre digrediens, lætissimum hunc nuncium, attulerit? quid si ipsa hæc Mater illi suo viro mysterium hoc aperuerit? quid si idem Angelum loquentem coniugi suæ coram vel ex propinquo audiuerit? Hoc sanè tam incredibile non est, quàm fortè opinetur quis, ignorans hosce coniuges cohabitasse sibi conceptionis tempore. At docet hoc Suar. Disp. 7. S. 2. cum Chrysost. Hom. 4. in Matth. Nyssen. in Orat. de Christi natiuit. Epiphan. hær. 78. Docéntq; hoc etiam Patres alij à Castrio cap. 4. num. 20. citati. Quid si deinde in Elisabethæ domo, aspectúque, & auditu, rerum tam mirabilium in eas angustias coniectus est? Tu quidem in fine colliges, quæ nostra sit mens.

Interea verò, vt quæ mihi propiora sunt propugnem; Assero, IOSEPHVM, etiam in montana Iudææ, Cariath-Arbam nempe, properanti Virgini, ibidémque commoranti trimestri spatio, ac inde redeunti, comitem adhæsisse. Ita Bonav. in Med. Vitæ Christi cap. 5. Isolanus in Vita Virg. Gerson dist. 6. Iosephinæ Litt. I. & K. Eckius mihi fol. 257. pag. 1. Caietan. in 3. p. q. 29. a. 2. Barry cap. 7. Medit. 4. Bonifac. lib. 1. cap. 11. Carthag. lib. 6. Hom. 1. Suarez Disp. 7. S. 2. Masell. de vita Virg. lib. 2. & 4. Salmeron tom. 3. tr. 10. Orascus declam. 5.

Rationes autem meæ sunt; 1. Quia vel IOSEPHVS

SEPHVS tunc ſolùm fuit Sponſus; vel maritus. Si prius, euaneſcunt matrimonij cauſæ. Si poſterius, defuit officio IOSEPHVS non parum neceſſario. 2. Nihil indecens de Virgine hac præſumi poteſt. At indecens eſt per milliaria 95. (ita Riccius computat vſque Hebron ſiue Cariath-Arbam) proficiſci, tantóque tempore abeſſe à Viro ſanctiſſimo, 3. IOSEPHVS ne quidem triduô auelli à IESV duodenni potuit, quin ipſum requireret, etſi ſemper manſerit cum Matre IESV. Multo minùs ergò credi poteſt incomitatam tanto tempore dimiſiſſe ſimul IESVM & Matrem. 4. Dubitatio de incontinentiâ Virginis non fuiſſet propria IOSEPH, ſed communis omnium ac præcipuè Hoſtium IESV. At hoc factum non eſt. 6. Nemo magis obſeruatur, quâm Sponſa à Sponſo. 7. Si prius IOSEPHVS MARIÆ ſolûm deſponſatus de futuro fuiſſet, poſtea nec cauſam timendi, nec cauſam acceptam coniugem dimittendi habuiſſet. At habuit vt colligitur ex Luca. Prius ergo accepit, tunc ſcilicet, quando Virga Virginem Virgini prodidit.



ELOGIVM XVII.

IOSEPH

Præfectus primus Congregationis MARIÆ Virginis annunciatæ.

IGnoſcite ROMANI SODALES, qui in Almæ Vrbis Templô ſub Virginis MARIÆ annunciatæ titulo conſtituitis primam primariam Congregationem reliquarum omnium, quæ toto paſſim orbe ſub cura Societatis IESV, exemplo veſtro, ductúque eriguntur, ſi veſtro videar honori derogare. Videor enim tantùm; at reipſa honorem longè maximum concilio vobis, tum auctoritatis, tum ſanctitatis, cuius omnes percupidi ſumus.

Eſt nempe IOSEPHVS PRIMVS VESTER PRÆFECTVS, illâ vtrâque laude ita præſtans, vt nemo magis. Eum Deus ipſe verè primæ primariæ Congregationi in Nazarethana Domo erectæ, penè neceſſitate quadam initiò ſtatim Præfectum deſignauit. Cum enim in eam nonniſi IESVS, MARIA, ac IOSEPH, & ſi placet, Gabriel Seraphinorum princeps, nomina dediſſent, audeo dicere, ſuffragij paſſiui iure ex his quatuor Sodalibus ſolus atque vnicus gaudebat IOSEPH.

Idque inductione probo euidenter. IESVS namque 1. infans erat, in ipſo quidem primo conceptu ſuo, corpore ſimul & animo perfectiſſimus,

vt Ba-

vt Basilius Hom. 25. de hum. Christi gen. & Ang. Doctor. in 3 p. q. 33. a. 2. testantur, veruntamen agendi genere alijs infantibus similis; & ideo regendi incapax. Deinde MARIA quoque, vtpote fæmina viro subiecta, eidem vicissim imperare non debebat. Tandem Gabriel inuisibili natura præditus nihil pæne nobiscum commune habet, & ideo potius Minister ac monitor Congregationis, quàm Præfectus eligi potuit; prout insinuat Apost. ad Hebr. 1. v. 14. *Nonne omnes sunt administratorij Spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis.*

Reliquum ergo erat, vt IOSEPH, qui solus supererat, in quo nemo quidquam desiderare posset, hoc *Præfecti* munus capesseret, tractaretque. Sanè, si quod res est, loqui velimus, vnà cum eo munere, etiam *Assistentis*, *Secretarij*, ac *Consultoris* partes omnes, sapientiâ ac fortitudine maximâ, per omnem vitam, sustinuit atque impleuit. Idque ipsa eius opera, etiam tacente me, abundè contestantur; vt adeò mirari debeat nemo, hac postremâ mundi ætate ad interitum inclinante Marianas Congregationes subjecisse se etiam IOSEPHO, ceu Atlanti cuidam cœlesti; eúmque Patronum & Aduocatum suum apud Deum Deíque Matrem, quibus gratissimus est, voce ac syngraphâ publicâ, adoptauisse. Mirari potius debeo Maiores nostros tamdiu defuisse sibi suísque ærumnis, quibus conflictabantur, & prope ignorâsse IOSEPHVM. Sed eius cau-

ſas,ſub finem laboris noſtri,quia minùs ſunt notæ, perſequar.

Nunc verò, laudare conuenit Ioſephini amoris licet ſerò erumpentem flammam, quam ipſe haud dubiè accendit in nobis IOSEPHVS, à chariſſima coniuge diutius ſeparari non ferens. Ille *Ius-Patronatus* noſtri ijs omnibus modis;quibus mereri quis poteſt, promeritus eſt, Templum ſimul, templíq; aream, ac dotem conſtituens in MARIA Virgine, quæ templum eſt Spiritus S. in pulcherrimarum Virtutum areâ, quam aperuit ſanctitate vitæ, in interceſſione multiplici,quam dotis nomine ſuis ſibi deuotis Clientibus dedit. Sed tamen ad *Beneficia* cœleſtia neque digniores, neque etiam dignos clientes ſuos promouere tenetur. Sufficit illi Reum eſſe, & comparere,vt Reum,quisquis opem eius expetit. Ideóque Patroni titulo,Aduocati officium, adiungit; quia Aduocatus eſſe non poteſt, niſi etiam Reus ſit. Reum ergo profitere te, quisquis IOSEPHVM patronum & aduocatum tuum vis experiri.



ELO-

ELOGIVM XVIII.

IOSEPH

Proximus IESV & MARIÆ Consanguineus.

SI ostendam, IOSEPHVM tam esse IESV & MARIÆ propinquum Consanguineum, vt propior esse non possit, verè ostendam eum esse IESV & MARIÆ Consanguineum proximum. At ostendi prius penè ad oculum à me potest. Ergo IOSEPHVS est proximus IESV & MARIÆ Consanguineus, quod Elogium præsens dicit.

Probo autem minorem. Quia 1. non potest esse Consanguineus IESV in 1. gradu, Neque enim est eius carnalis pater, frater, aut filius. Nec deinde potest esse in 2. Non enim est auus IESV, quia non est pater MARIÆ: nec nepos IESV ex fratre aut sorore; quia ipse est vnigenitus Matris suæ. Si ergo velim adhuc, præ alijs omnibus propiorem esse, dicere debeo, esse in 3. gradu. Et hoc est, quod volo, vniceque contendo. Si enim habeam, esse in 3. consanguineum IESV, iam etiam habeo, esse in 2. MARIÆ, nisi dicere quis audeat, esse in 4. quod auditu impium, propterea quod neque MARIA filio alio carnali, quàm IESV, neque etiam IESVS filijs alijs, nisi Spiritualibus gaudeat. At verè possum & dicere debeo, IOSEPHVM esse

Con-

Consanguineum IESV & MARIÆ in 3. gradu. Est enim eius filius, cuius soror est Anna, mater MARIÆ & auia IESV. Nempe in Mathan tanquam communi stipite conuenit tum generatio Annæ, MARIÆ, & IESV ex vna parte; ex alia verò generatio IOSEPHI indidem descendens. At dantur sic vsque ad IESVM generationes tres; ad IOSEPHVM verò duæ, scilicet vna ad Iacob, qui frater Annæ fuit; & altera ad IOSEPHVM. Si ergo nunc calculos ineam ritè, est IOSEPHVS in 2. ad 3. respectu IESV, & in 2. respectu MARIÆ; quô propior Consanguinitas inter eos, qui ex diuerso matrimonio oriuntur, dari nequit. Vel enim instituitur quæstio facti; & hæc paulô ante clarè composita est: vel quæstio iuris; & hæc ab aliquibus tollitur, propter repugnantiam naturæ; ab alijs, vt Dicastil. Disp. 7. dubit. 23. quo cum ego sentio, propter mutuam reuerentiam sanguini debitam. Est ergo IOSEPHVS proximus IESV & MARIÆ consanguineus.

Verùm 2. non video, qui capi hæc ad oculum, prout promisi, possint. Necesse est ergo ipsam tibi totalem arborem Consanguinitatis, quantum capere vna pagina potest calamo prius repræsentare. Ea hunc in modum se habuit.

1. Descendit IESVS ac IOSEPHVS ex communi stipite David: & quidem per Salomonem Matth. 1. per Nathan Luc. 3. IESVS; per solum verò Salomonem IOSEPH.

2. Ge-

2. Generatio IESV per Salomonem post interpositas propagines viginti ſex à me ex Matthæo deſcriptas, tandem ad Mathan peruenit; viciſſim autem eadem per Nathanem poſt generationes triginta quinque intermedias ducta deſinit in Mathat.

3. Mathan genuit Annam; hæc deinde MARIAM, ac demum MARIA IESVM peperit.

4. Contrà, Mathat, genuit Heli virum Annæ, & Heli MARIAM, &c.

5. Viciſſim verò ad IOSEPHVM quod attinet; Mathan genuit Iacob, fratrem Annæ; Iacob deinde IOSEPH & Alphæum ſiue Cleopham, aut ab alijs Clopam dictum.

6. Sobe, ſiue Iſmeria, vel ſecundùm Sanctum Auguſtinum Iſmara, ſoror fuit Annæ ac mater Eliſabeth, à quâ & Zacharia Ioannes Baptiſta ſuſceptus eſt. Qui proinde Ioannes ex auia Sobe non minùs accedit ad IESVM, MARIAM, & IOSEPHVM, quam Fratres Domini nati ex auo Iacobo.

7. Maria Cleophæ vxor Cleophæ fuit ac Soror Iacobi. Debet ergo ad Annam & per hanc ad MARIAM & IESVM, per Iacobum verò ad IOSEPHVM aſcendere. Ita Hyppol. Portuenſis Epiſcopus MARIAM Dei Genitricem ex Anna, Mariam Salomen ex Maria Cleophæ, & Eliſabeth ex Sobe, tanquam tribus Sororibus deducens.


8. Non

8. Non solùm IESVS, sed etiam IOSEPHVS filius Dauid est, vt patet ex Evangelistis; diuerso tamen tramite. Nempe per MARIAM &c. & Nathanem IESVS, per Salomonem autem IOSEPHVS, vt Tirinus & Cornelius docent, nixi ordine ab Evangelistis præscripto: quem cum ijs interpretibus sequi malo, quàm Polium in Hist. SS. Ioachim & Annæ, part. 1. §. 8.

9. Maria, Iacobi Apostoli mater est, & alio siue nomine, siue cognomine, Salome dicitur: Iam autem suprà dixi, duo hæc nomina debere pro vna persona accipi. Neque enim ex Matth. 28. v. 1. vllum infertur solidum fundamentum distinguendi, quidquid dicant citati Tirinus & Cornel. Vide, lege, & considera præsentem imaginem, quem honori S. IOSEPHI incidi curaui.



ELO-



Genealogia IESV, MARIÆ, et IOSEPHI

ELOGIVM XIX.

IOSEPH

Consanguineus plurimorum Sanctorum.

NOn sum nescius, Canonizandi potestatem omnem summo Pontifici modò reseruatam esse. Igitur dum Syllabum hîc suppono eorum Sanctorum, quos IOSEPHVS, cognatione contingit, ne quæso putes adscripsisse me mihi tibique forsan placitos. Sed Martyrologia sequor, Romanum, & Canisij, Viri de Ecclesia summè meriti. Ab ijs mihi discedere, fas esse non putaui. Notas tamen etiam ex alijs rerum peritis adieci. Porrò

Primus omnium est Abraham Patriarcha ac Pater omnium credentium. Martyr. Rom. 9. Octob. Matth. 1. & Luc. 3.

2. & 3. Isaac & Iacob itidem Patriarchæ. Martyr. Canisij 6. Octob. Matth. & Luc. cit.

4. Iesse Pater Dauidis, dictus etiam Isai. Mart. Can. 29. Decemb. Matth. cit.

5. Dauid Rex & Propheta. Martyr. Rom. & Canisij. 29. Decemb. Matth.

6. & 7. Ezechias & Iosias Reges. Mart. Canis. 23. Iunij Matth.

8. IESVS Dei filius, & MARIÆ; consanguineus IOSEPHI in 3. gradu iuxta ante dicta.

9. MARIA Sponsa & vxor IOSEPHI, eiúsque consanguinea in 2. gradu.

10. Io-

10. Ioachim, siue Heli Socer IOSEPH, descendens ex Leui saltem mediante Barpanthere & Panthere, vt docet Damasc. lib. 4. de Fide c. 15. 20. Martij. Martyr. Rom. apud Luc. cap. 3. quia Heli & Ioachim idem sunt.

11. Anna Mater MARIÆ, Ioachimi vxor, IOSEPHI simul amita, & socrus. 26. Iulij. Martyr. Rom. & Damasc. in Serm. de Nat. B. V.

12. Zacharias Sacerdos & Propheta, Pater Ioannis Baptistæ, maritus Elisabeth cognatæ MARIÆ Virg. & IOSEPHI, & ideo vtriusque affinis. 5. Novemb. Martyr. Rom. Luc. 1.

13. Elisabeth filia Sobe, (quæ fuit soror Annæ & Iacobi) & consequenter amita IOSEPHI; itémque vxor Zachariæ Sacerdotis oriundi ex tribu Leui, & familia Aaronis. 5. Nouemb. Martyr. Rom. Luc. 1.

14. Ioannes Baptista Præcursor Christi, Zachariæ & Elisabeth filius; cõsanguineus IOSEPH in 3. gradu. 24. Iunij. Martyr. Rom. & omnes Evangelistæ.

15. Iacobus Maior Apostolus, Zebedæi & Mariæ Salomes filius, IOSEPHI pronepos, & ideo consanguineus in 3. gradu. Patronus Hispanorum, quibus Evangelium Christi prædicauit. 25. Iulij. Mart. Rom. Evangelistæ passim.

16. Ioannes, Evangelista & Apostolus, Discipulus, quem diligebat IESVS & MARIAM matrem de cruce iussit in sua accipere; itidem IO-

SEPHI

SEPHI pronepos, & filius Zebedæi & Salomes. 27. Decemb. citati passim.

17. Iacobus minor Apostolus, filius Cleophæ, qui frater fuit IOSEPHI, adeóque Nepos IOSEPHI ex fratre, & in 2. gradu, frater Domini appellatus, ad Galat. 1. v. 19. 1. Maij. Martyr. Rom. & Evang.

18. Iudas Thaddæus Apostolus frater Iacobi minoris, eodémque patre natus, &c. 28. Octob. Mart. Rom. & citati.

19. Cleophas siue alio nomine Alpheus, frater IOSEPH, cui Christus se manifestauit in fractione panis, eiusdem Discipulus, & Martyr, pater Iacobi minoris & Iudæ itémque auus Iacobi maioris & Ioannis Evangelistæ 25. Sept. Martyrol. Rom. & citati.

20. Simeon secundus Hierosolymorum Episcopus, & Martyr. & 21. Ioseph Episcopus Eleutheropoli in Palæstina, filij Cleophæ, & Nepotes ex fratre IOSEPH, Discipuli Christi. Colitur Simeon 18. Febr. Ioseph 20. Iulij. Martyr. Rom.

22. Martialis Episcopus Lemouicensis, Discipulus Christi, filius Eliud fratris Elisabeth, & idem consanguineus IOSEPHI in 2. 30. Iunij. Martyrolog. Rom. & Castrius ex Tradit.

23. Seruatius Episcopus Tungrensis; nepos Eliud. 13. Maij. Martyrol. Rom. ex Sigeberto ad annum 399.

24. Maria Cleophæ, vt Cornel. vult, vxor Cleophæ, & mater fratrũ Domini, puta Iacobi minoris,

Iudæ Thaddæi, Iosephi, & Simeonis, ac Mariæ Salomes (quã Tirinus diuidit in duas, Mariam, & Salomen, verumtamẽ sine fundamento solido) ex quâ nati sunt Iacobus maior & Ioannes Evangelista Apostoli, filij Zebedæi, adeóque etiam in 2. gradu 9. Aprilis Martyrol. Roman. & Evangelistæ.

25. Maria Salome filia Cleophæ, vxor Zebedæi, & neptis IOSEPHI ex fratre. 22. Octobris. Martyrolog. Rom. & Evangelistæ.

26. Sobe, siue Esmeria, aut Ismeria, vel Ismara S. Augustino Serm. 25. ad fratres in Eremo. Soror Annæ, & Iacob patris IOSEPHI, & ideo huius amita & consanguinea itidem in 2. gradu. S. Augustin. cit. & Cornel. in cap. 3. Luc.

27 Matthæus filius Alphæi siue Cleophæ, consanguineus IOSEPHI, sicut Iacobus minor. 21. Septemb. Ita Euthymius ex Chrysost. apud Castr. cap. 1. Martyrolog. Rom. Verùm de hoc, quia dissentiunt alij omnes, malim egõ fidem suspendere, quoad certiora afferantur. Ob quam etiam causam, neque Zebedæum huic stemmati directè inserere possum, etsi forte reipsâ mereatur.



ELO-

ELOGIVM XX.

IOSEPH

Nunquam MARIAM coniugem cognoſcens.

IGnorare non potuit MARIA Virgo, quod tota ſciebat Synagoga, Emmanuelis in Lege promiſſi matrem Virginem fore, *Virginem* inquam *manentem*. Cùm enim Iſaiæ 7. v. 14. dicitur; Ecce Virgo concipiet, non ibi ponitur vox *Aalma*, hoc eſt *Virgo nubilis*, ſed *Haalma*, ſiue *Virgo manens*. At ſciebat eadem, ſe eam fore matrem ab Iſaia & alijs prædictam. *Ecce concipies*, &c. Lucæ 1. Quid eſt ergo, quod opponat Angelo. *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Nempe ſenſus verborum eſt. Magna quidem res eſt, Angele, maternitas Dei, quam per te à Deo efferri mihi minimę ancillæ ſuæ veriſſimè credo. Verùm ius omne in virum virique corpus iam antè æternùm abſtuli à me voluntario Virginitatis ſummæ voto. Quem proinde ne quidem ea ratione cognoſcere poſſum, volo, & debeo, quocum ſtare eadem adhuc integra poſſit. Dic ergo, amabo, quomodo fiet iſtud?

Sed non minus IOSEPH, *Vir* MARIÆ, hæc eadem potuit vſurpare verba. Idem enim tam ſancti coniuges velle debebant. Non cognoſco ego Virginem, nec cognoſcam, dum vixero vnquam, quocunque cognitionis carnalis genere. Sit licet paternitas Dei res omnium maxima, Virgo tamen ex

voto, quod Domino voui, mori malo, quàm fieri Pater Dei contra votum, etiam releuatum.

Neque mihi dicas, quod Hæretici toties debellati obijciunt, obstare IOSEPHO Scripturæ S. verba, quæ Matth. c. 1. v. 25. habentur: *Et non cognoscebat eam, donec peperit Filium suum primogenitum.* Vox enim, *donec*, terminum præstituit, ante quem non cognoscebat. Cognouit ergo postea, vbi ille impletus est, & eos quos Scriptura Fratres Domini appellat, suscepit ex MARIA.

Nam contra est 1. Quia vt Elog. 18. & 19. ostensum est Fratres Domini longè alios habent parentes, quàm IOSEPHVM & MARIAM Matrem Dei. Habent nempe Alphæum siue alio nomine Cleopham, & Mariam Cleophæ, quæ aliter Maria Soror Matris Dei, ac Maria Iacobi, cuius Mater fuit, dicitur. 2. Vox *donec* nequaquam est terminus finiens, vltra quem egressa non sit Virginitas IOSEPHI. Vel enim esset vniuersaliter; Vel tantùm in materia subiecta. Atqui neutrum dici potest. Et quidem non potest dici 1. Genes. enim 8. v. 8. *Non reuertebatur, donec siccarentur aquæ.* Atqui nunquam postea coruus, de quo ibi sermo est, reuersus est, 1. ad Cor. 15. v. 25. *Oportet autem illum* (Christum nempe) *regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius.* Atqui etiam postea & quidem gloriosior regnabit. Et Matth. 5. v. 26. *Non exies inde, donec reddes nouissimum quadrantem.* At hîc, ly *donec*, cum æternitate stat. Sed nec 2. dici potest; quia, deest affirmandi causa, cùm causa non vna adsit

adſit negandi. 3. Quia primogenitus non tantùm ſignificat eum qui antecedit omnes alios, ſed etiam, quem nemo antecedit, vti vnigenitus eſt, vt patet Exod. 4. v. 22. & cap. 13. v. 2. Eſto igitur Chriſtus nullos poſt ſe fratres habuerit, adhuc primogenitus dici poteſt & debet. 4. Quia, vt docet Damian. Epiſt. 11. ad Nicol. Pontif. cap. 4. *Eccleſiæ fides eſt, vt* MARIA *mater Chriſti ſit Virgo, & is, qui ſimulatus eſt pater.* 5. Quia id temporis polygamia in vſu non erat; & MARIA IOSEPHO ſuperſtes in virginitate ſub cura Ioannis itidem Virginis, permanſit. 6. Quia ſi poſtquam peperit Virgo, eam cognouiſſet, reddidiſſet eam ſimilem alijs mulieribus auferendo decus virginitatis à matre conſeruatæ, cum præjudicio voti, ac Spiritus Sancti, de quo prius Dei filium conceperat. Scio autem, verba Matthæi adhuc aliter exponi poſſe. Sed tu nunc quod dixi, expende.

ELOGIVM XXI.

IOSEPH

Inueniens Virginem in vtero habentem de Spiritu Sancto.

VT ab eo, cui cæteri originem ſuam debent ordiar ſermonem; Spiritui ſancto, non vno in loco Scripturæ ſacræ, tribuitur conceptio Chriſti. Quod vtique factum non eſt, quaſi duæ aliæ Perſonæ Trinitatis non æquè concurriſſent ad

eum conceptum. Sunt enim, vt axioma Theologicum testatur, opera omnia ad extra communia Trinitati toti. Et in præsenti habeo verba Concilij Toletani 16. *Cum Spiritum Sanctum superuenturum in ea dicit, vt Virtutem altissimi, qui est Dei Patris Filius, obumbraturam eam præmonuit, eiusdem Filij carni totam Trinitatem cooperatricem esse monstratur.* Cum ergo Spiritum Sanctum Sacræ Litteræ prætermissis alijs, Auctorem incarnationis Dominicæ sæpiùs, vt dictum est, faciant, meum erit, eius afferre causas aliquot dignas Theologo.

Prima est; Quia generatio maximum est Amoris opus. At in amore consistit formalis processio Spiritus sancti. 2. Quia eadem est donum inter creata maximum, tam ex parte Filij, quàm Matris. At hoc immediatè debetur dono essentialì, qui solus est Spiritus sanctus. 3. Quia rursum illa est suprema sanctitatis participatio. At sanctitas in voluntate consistit, & à voluntate diuinâ, per quam solus procedit Spiritus S. ad nos vsque propagatur.

Sed cur, inquies, dicitur hîc Virgo, habere *de* Spiritu sancto, & non potius *ex* Spiritu sancto? S. Thomas q. 32. a. 2. ait, per ly, *de*, exprimi vtramque habitudinem, quam habet Spiritus sanctus ad Christum, nempe consubstantialitatis ad diuinitatem eius, & coëfficientiæ ad eius corpus; at verò ly, *ex*, significare apud Philosophos nonnisi causæ materialis concursum, qui hîc à sola Matre præstitus est. Verùm, quod de consubstantialitate dicit, diffi-

difficile eſt, admitti. Vt enim S. Auguſtinus in Enchir. cap. 39. obſeruat, *naſcitur de homine capillus; nec tamen conſubſtantialis homini eſt.* Dici tamen poteſt ly, *de* ibi ſumi à S. Doctore in ſuo famoſiore ſignificato; non verò à S. Auguſtino. Durius autem eſt, quòd in a. 4. neget B. Virginem aliáſque mulieres effectivè concurrere ad conceptionem. Semper enim contraria opinio mihi ac pleríſque alijs viſa probabilior eſt, quam in re â foro Theologico aliena vel in gratiam MARIÆ meritò ſuppono. Sed eſt tamen hæc efficientia longè debilior alterâ, quàm viri, & quam hîc, tres diuinæ Perſonæ, exercent; vt adeò minus propriè verum ſit, *de* MARIA Virgine conceptum Chriſtum eſſe.

Hinc autem, vt puto, manifeſtum eſt, quid ſit habere Virginem de Spiritu ſancto. At ignotum remanet, quando, à quo, & quænam inuenta ſit ſic habens. Et quidem Matthæus *antequam conuenirent*, inquit, *inuenta eſt*. Sed quid eſt hic conuenire? Patres aliqui ad nuptias, alij ad maritalem congreſſum referunt. Ex quibus poſteriores neceſſariò præfero, quia nuptias ante Chriſti incarnationem factas eſſe, IOSEPHVMque Virgini iam tum cohabitaſſe ſupra Elogio 16. docui cum Theologorum conſenſu.

Ad alterum quod attinet, docet Origenes ab Angelis inuentam eſſe. Sed refutari meretur, quia hæc inuentio nihil facit ad dubitationem. An enim, quia tu inuenis theſaurum, ego dubito? Certum

ergo est, & esse debet, inuentorem esse IOSEPHVM.

At quid, inquies, inuênit? illámne, quæ habet de Spiritu sancto? Nequaquam; quia non inuenio, quod semper habeo. At semper habuit Virginem IOSEPHVS ab causas alibi explicatas. Inuenit ergo totum hoc, quod est *habens de Spiritu sancto.* Intellexit nempe IOSEPHVS, concepisse Virginem de Spiritu sancto. Id enim affirmant, Basilius, Theophylact. & alij non multo post citandi, imò etiam citati suprà, cùm causæ dubitationis IOSEPHO subortæ sunt. In re autem, in qua ne ipsi quidem Patres conueniunt, licet vtique opinionem eligere, quæ cum honore persónaque IOSEPHI magis consistit.

ELOGIVM XXII.

IOSEPH

Inueniens IESVM natum, priusquam esset natus.

ELogio huic, vti alijs multis, viam, etiam Matthæus, aperuit cap. 1. v. 20. *Quod enim natum est, de Spiritu sancto est.* Quæ quidem verba, propterea paradoxa videri possunt; quia si tempus, in quo prolata sunt, inspicias, dicunt, id natum esse in Virgine, quod nondum est natum. Nempe non solùm ille dicitur natus, qui, vel totus, vel principali aliquà parte euasit extra vterum matris, sed etiam ille, qui

qui adhuc eidem vtero inclusus habet omnia ad essentiam hominis requisita. At habuit hæc omnia & quidem in valde eminenti gradu IESVS Virgini inclusus, vt ex supra dictis colligi potest. Ergo iam tum natus dici potest, priusquam erat natus illo priore modô.

Sed fortè non meministi satis, quomodo habuerit omnia, repetam breuiter ea, quæ dixi, & addam alia, quæ ex Theologorum placitis, iudico, Christum, simul ac Virgo vocem creantis Dei, *fiat*, pronunciauit, accepisse. Igitur accepit Christus in 1. instanti Physicô temporis à Deo definitô corpus perfectè organizatum, etiam quoad formas partiales propriè tales ex hypothesi quòd dentur, mihi olim probatâ. 2. Corpus animatum vnicâ rationali animâ eiusdem nobiscum essentiæ & indiuidualis perfectionis. 3. Idem assumptum à Verbo. Cum enim verbum præexistat, per se subsistens, & humana natura sic non præexistat, sitque propterea verbum infinitè excedens naturam hanc, verbum ipsum assumpsisse dici debet, natura autem, exinaniuisse. 4. Idem instructum thesaurô sapientiæ, gratiæ, virtutum & gloriæ, iure & actu possesso, prout is conuenit Capiti totius humani generis, etiam quoad visionem beatificam. 5. Idem passibile & mortale, subiectum Legi diuinæ reuelatæ etiam per scientiam infusam, circa substantiam mortis pro nobis peccatoribus redimendis tolerandæ.

Vides ergo, quid sit illud, quod inuenit IOSEPHVS

SEPHVS, omne ſcilicet bonum eſt, Deus-homo, *in quô*, vt loquitur Apoſt. ad Coloſſ. 2. v. 3. *Sunt omnes theſauri Sapientiæ, & ſcientiæ abſconditi.* Et v. 9. *in quo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Et v. 10. *qui eſt caput omnis principatus & poteſtatis.* At fieri nequit, vt hoc tali tantóque theſauro pretioſior inueniatur. Debet ergo IOSEPHI, qui inuenit, felicitas, eſſe omnibus felicitatibus felicior.

At duo ſunt, quæ litem inuentori iſti mouere poſſint. 1. An fortuitò inuenerit. Eſt enim, vt S. Thom. in 1. Matth. notat, *inuentio eius rei, de quâ non ſperabatur*; ſiue vt Iuriſconſulti in lib. 3. §. vlt. ff. de iure fiſc. l. 1. C. de thaſauro l. 10. habent, *quæ fortuitò, & operâ non datâ obtinetur.* At ideo vir in mulierem conſentit, quia fructum de arbore quærit, matrimonij vſu. 2. An inuenerit in fundô ſuô, vel publicô; aut alienô. Hæc igitur duo meritò decidenda ſunt.

Ac 1. quidem affirmo, IOSEPH propriè fortuitò inueniſſe. Nam 1. nec ſperauit aut ſperare potuit theſaurum hunc homo; Deo & hominibus per opificium fabrile intentus. Nec 2. operam vllam adhibuit, qualis adhiberi ad hunc finem ab ijs, qui matrimonio illigantur, ſolet. Remota autem cura in inuentionibus iuxtà eſt.

Circa 2. fateor dubitari poſſe, annon fuerit MARIA Virgo publicus potius fundus totius humani generis; vel omnino proprius, Verbi incarnati, totiúsve Trinitatis, in quo ſibi bene complacuit. In qua re vnusquisque ſanè arbitratu ſuo ſapiat.

piat. At ego, cui claritas inprimis adamatur, candidè fateor, etsi negari non possit diuersô respectu MARIAM esse fundum publicum, & proprium; proprium tamen fundum esse etiam IOSEPHI. Est enim IESVS non solùm thesaurus in fundô plusquam dotali, MARIA inquam, sed etiam fructus Horto concluso per matrimonium comparato naturaliter cohærens.

ELOGIVM XXIII.

IOSEPH

Ab ipso Deo iussus manere cum MARIA Coniuge sua.

RElinqui IESVS MARIAM Matrem suam à nobis, non sustinet. Ideo enim nondum natus Gabriele internunciô; IOSEPH, inquit, *Fili Dauid noli timere accipere* MARIAM *coniugem tuam:* & in cruce cùm morte luctans, ad Ioannem, *ecce*, inquit, *mater tua*. Sed hæc non pensant Hæretici nostri, qui non secus, ac Sagæ, initiò statim, abiurant MARIAM & Sanctos, planè vt videas, eos à Spiritu Christi procul abesse.

Hîc tamen vlterius progredi nolo, qui præsentem laborem vni præcipuè IOSEPHO consecraui. Is nunc mihi minus sanctè decentérque tractari videtur ab ijs Catholicis Doctoribus, qui ipsum docent, MARIAM, licet grauidam, ritéque desponsatam dimittere voluisse, propterea, quòd Castitati eius.

eius, à nescio quô, siue homine, siue spiritu, illatam esse vim, metueret. Cum his ergo potius agendum est.

Ac 1. negari non potest, Auctores istos & numerô & virtute magnos esse, quos tibi velut in aciem educunt Castrius, & Cornelius à Lap. in cap. 1. Matth. Sed his opponi possunt saltem æquè multi & graues Doctores, vt non iam de viris; sed de armis, Rationibus inquam, earúmque pondere, cura esse debeat.

Et illi quidem, qui aduersantur nobis, prætendunt Scripturam Rationum omnium Dominam, quæ 1. ait, *traducere noluisse, cùm esset iustus.* Atqui tantùm de crimine potuit traducere. 2. ait, Angelum iussisse, ponere timorem, addendo causam; *quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est.* Ignorauit ergo hoc antea IOSEPH.

At non tenet 1. quia traduci dupliciter potuit purissima hæc Coniunx. 1. In actu signato. 2. In actu exercitô; narrando scilicet factum, quod ordinariè cum crimine coniunctum est. At priori modô iustus traducere non potuit; nec probare in iudicio causam, ob quam traduceret. Posteriori quoque modô abstinere à traducendo debuit; quia iam se vna cum Virgine ludibrio & risui audientium exposuisset.

Sed neque dici potest 2. quia particula, *gàr*, enim, non semper est causam reddentis, sed interdum asserentis, vt hic tradit Salmeron infra citandus. Quare sensus Verborum hic est; noli timere,

propte-

propterea, quia id, quod natum est intra eam, de Spiritu Sancto est. Et rationem addit: *Pariet autem filium, & vocabis nomen eius* IESVM. Nempe; Pater eris in omnibus, sed tamen sine copula coniugali. Ita Salmeron tom. 3. tr. 30. fol. 241. ex Theophyl. in cap. 1. Matth. & Hebr. Cod. eiusdem Matth. Et sanè Salmeron 13. Rationibus rem suam & meam in eo tractatu fortissimè gessit, pronuncians ex mera reuerentia, & humilitate dimittere MARIAM grauidam de Spiritu sancto voluisse, vtpote conscium Incarnationis Dominicæ. Idipsum verô dudum ante sensêre Origen. hom. in hoc Evang. Basilius hom. de hum. Christi gen. Theophyl. in cap. 1. Matth. Bernard. hom. 2. super missus est. Leont. in Matth. Gerson in Iosephina; & alibi. Viguerius in Theol. Instit. cap. 20. §. 9. Eckius in Serm. de S. IOSEPH. Richard. de S. Vict. Catharinus; Brigitta lib. 6. cap. 59. & lib. 7. cap. 25. & Barry cap. 8.

Rationes præcipuæ sunt 1. Quia verba Matthæi *inuenta est habens de Spiritu Sancto* ponuntur ante subortam cogitationem. Atqui non inuenio, quod nescio, an, & vbi sit. 2. Quia prius super omnia montana Iudææ diuulgata sunt miracula, circa Ioannem præcursorem Domini, &c. 3. Quia Virginem, sciebat, sanctissimam esse. 4. Quia Virgo hoc ipsum mysterium alijs, quibus minus obligata fuit, reuelauit. 5. Quia eadem causam tristitiæ immeritô dedisset viro. 6. Quia vtique IOSEPH iure suo interrogaturus fuerat Virginem, & hæc illi respondere debebat. 7. Quia

saluâ

ſaluâ iuſtitiâ poteſt vir manere cum coniuge impraegnata; imò tenetur manere, ſi crimen ſit occultum, & alia cauſa non ſubſit. 8. Quia dubitatio de adulterio nec CHRISTO, nec MARIÆ, nec IOSEPHO honorifica eſt; eſt autem humilitas, honorifica omnibus. 9. Quia Angelus non dixit; noli ſuſpicari, ſed *noli timere*; item non dixit; *noli timere accipere*, quæ tua non eſt, ſed quæ iam eſt tua, & quam tu ex humilitate dimittere vis paulo ante acceptam. 10. Quia, vt in Orient. Relat. habetur, IOSEPHVS Scripturæ Sacræ peritiſſimus fuit. Si ergo alij minùs periti ſignificârunt Herodi, adueniſſe tempus Salutis, dubitari non debet, IOSEPHVM multò certiùs id agnouiſſe. 11. Quia contemplationi præ quàm vllus alius fuit addictiſſimus. Annon ergo Dominus ipſi quoque dixit. *Num celare potero* IOSEPH, *quæ geſturus ſum?* Geneſ. 18. v. 18. 12. Quia intima cum Angelis conſuetudine fruebatur. 13. Quia vt ſupra probatum eſt, longè eſt credibilius, habitaſſe cum Virgine iam inde â conceptu ac nominatim illam comitatum ad Zachariam eſſe, ſpectâſſéque & audiuiſſe prodigia, quæ Dominicam Incarnationem clarè demonſtrabant. 14. Quia hæc opinio facilius aſſignat cauſam, ob quam ſine peccato cogitare potuit de dimittendâ tam charâ, & ſanctâ coniuge. 15. Quia reuelationem myſterij exigit fides vxoris, nulli magis, quàm viro obligata, propter periculum, Zelotypiæ & aliorum peccatorum.

ELO-

ELOGIVM XXIV.

IOSEPH
Pater Spiritualis IESV.

NEmo magis vſurpare potuit illa Apoſtoli ad Epheſ. 3. v. 15. verba; *Flecto genua mea ad Patrem, ex quo omnis paternitas, in cœlis, & in terrâ nominatur*; quàm IOSEPHVS. Nemo enim pluribus nominibus Pater eſt. At eſt ſignum, *omne*, diſtributivè accipiendum, ita vt Paternitatum genera omnia complectatur. Quibuscunque ergo modis IOSEPHO paternitas tribuitur, debet ea nominari, hoc eſt, deſcendere à paternitate ſupremâ Dei. Iam autem, ſicut in rebus creatis omnibus, primô locô, Spiritus ponitur, ísque in eſſe phyſico, & in eſſe morali conſideratus, ſic oportet paternitatem Spiritualem, vbi ea inuenitur, antecedere alias omnes, quæ non ſunt Spirituales.

At éſtne hæc in IOSEPHO? Nego inprimis eſſe phyſicam; nego etiam poſſe eſſe. Et Ratio eſt, quia nec homo Spiritus eſt, nec ſi eſſet, aliter produci, quàm per creationem poſſet. At implicat aſſumi IOSEPHVM aliúdve creatum agens, etiam per modum inſtrumenti ad creandum, vt docet S. Thom. in 1. p. q. 45. a. 5. in c. & q. 47. a. 1, & q. 65. a. 3. in c. & q. 90. a. 3. in c. & q. 104. a. 2. ad 1. & 3. Neque enim, dominium nihili, alteri præterquam Deo conuenit.

Sed tamen *Paternitatem* illam alteram, *Spiritualem*

tualem inquam, quæ physicâ præstantior est, etiam in capite ponimus reliquarum paternitatum, quas deinceps IOSEPHO liberaliter, & quidem cum fundamento in re tribuam. Est autem, *paternitas* hæc, *Spiritualis*, denominatio obiectiua, resultans à parte rei, ac nemine nostrûm cogitante, ex actione Spirituali, quâ quis, quantum est ex se, alterum instruit, impellit, manuducit in ijs, quæ Dei sunt. At huiusmodi actionẽ copiosè exercuit IOSEPHVS erga Filium Dei, non quidem ex indigentiâ eiusdem; quid enim deesse Filio Dei potest? Sed, quia decebat ipsum implere omnem iustitiam. Sicut ergo ob hanc causam ipse Baptismi auctor, vt Baptismum obtineret à Ioanne, dixit; *Sine modò*; ita haud dubiè, vt obtineret illam à IOSEPHO actionem Spiritualem, idem, *Sine modò*, sæpius repetijt, extorsitque. At hoc ego ipse primus commentus nequaquam sum. Docuit verò dudum antè Gerson in Iosephinâ. dist. 2. Cui vt refrager, idem amoris in IOSEPHVM conatus non sinit: quin potiùs, vt subsidio quibuscunque Rationibus veniam, etiam pertrahit.

Igitur 1. nonne IESVS *proficiebat sapientiâ, & ætate, & gratiâ apud Deum & homines?* Negare hoc nemo sine hæresi potest, propter Luc. cap. 2. v. 52. At non potuit vllibi magis proficere, quàm apud eos, cum quibus maximam partem fuit; fuit autem cum MARIA & IOSEPH. Sed neque magis in manuum labore, quàm in animæ causis ipsum proficere decebat. Ad vtrumque ergo præcipuam

operam

operam proprij contulêre parentes; eo mődo, quô proficiebat. 2. Illimitatè dicitur ab eodem Luc. v.51. *Et erat subditus illi.* At nihil eſt indecens, Chriſtum eſſe ſubditum IOSEPHO, etiam vt filium Spiritualem. Si enim eſſet indecens, ideo eſſet, quia ipſe potius IOSEPHVS fuit filius Spiritualis IESV. At nihil obſtat vnum eundémque diuerſo reſpectu eſſe Patrem & Filium Spiritualem. 3. Hæc paternitas Spiritualis tantûm requirit, vt quis ad Spiritualia iuuet alterum ex intentione iuuandi. Etſi ergo demus, quòd IESVM in Spiritualibus nunquam inſtruxerit, ſaltem mille modis alijs eundem & alios adiuuit. 4. Eadem maximi eſt meriti. Ergo à IOSEPHO auferri non debet. 5. Varijs exemplis oſtendi poteſt, CHRISTVM vſum eſſe verbis inſtructionem petentibus in rebus minoris momenti. Ergo veriſimile eſt, ſimile officium à IOSEPHO petijſſe ſaltem propter ipſum IOSEPHVM.

ELOGIVM XXV.

IOSEPH

Pater Legalis IESV.

ALtera paternitatis ſpecies, eáque à Spirituali Paternitate totô genere diuerſa eſt *Paternitas Legalis*, quæ ferè ex adoptione, & arrogatione, Legum conſtitutione naſcitur. Sed adoptio vtique potior eſt. Arrogatur enim ille, qui ſui eſt iuris;

at verò adoptatur, qui non est sui iuris. Ego tamen hîc apices Legum non sector, & ideo, fas esse vnicuique volo, vt me de adoptione loquentem, laxius accipere possit.

Quare hoc vnum modo dico IOSEPHVM *Patrem* esse *Legalem* IESV, adoptando ipsum in Filium, eíque paterna officia omnia, prout huiusmodi Patres solent, largiter præstando. Ita quidem apertè sentit Augustinus lib. 2. de consensu Evang. cap. 1. hisce verbis vtens. *Nec enim propterea non erat appellandus* IOSEPH *pater Christi, quia illum non genuerat, quandoquidem rectè pater illius esse potuit, quem non ex sua coniuge procreatum aliunde adoptasset.* Hæc ille; quæ forte sciolus aliquis primo oris flatu subruere se posse credet, dicendo; pessimè inferri: potuit adoptare IESVM. Ergo adoptauit. Adoptare enim possunt Infideles; qui tamen illum non adoptant.

Verùm fallitur quisquis sic obijcit; & ostendo falli. 1. Quia IOSEPHI potentia est determinata ad actum. Ergo agit, nisi quid obstet. At nihil obstat. Si enim obstaret aliquid, vel id teneret se ex parte potentiæ, vel ex parte obiecti ad quod se illa per adoptionem extendit. At nihil obstat primô modô; potentia enim adoptans est voluntas IOSEPHI, parata ad omne possibile bonum sibi conueniens. Nec secundô; quia dubitari non potest, paternitatem istam legalem esse tale bonum. Nihil ergo obstat. 2. Ad hoc, vt IOSEPH, & quicunque alius fiat Legalis Pater, sufficit eligi ab

eo, qui

eo, qui ius eligendi habet, & electionem haberi ratam ab illo, qui eligitur. At habet vtique IESVS ius ratam habendi electionem sui. *Data est enim ipsi* (etiam vt homini) *omnis potestas in cœlo & in terra*, Matth. 28. v. 18. potestas, inquam, excellentiæ, fundata in vnione Hypostatica. Eundem etiam reipsa elegit IOSEPH in Filium, nullum excipiens Paternitatis munus, nisi quod à carne & sanguine nascitur; vti neque Filius vllum excepit officium filiationi conueniens. Ideóque IOSEPH non solùm ab ijs, qui mysterium Incarnationis ignorabant, Pater est creditus atque appellatus. *Nonne hîc est fabri filius?* Matth. 13. v. 55. Sed etiam à Luc. 2. v. 27. *Et cum inducerent puerum* IESVM *parentes eius*. Et v. 33. *Et erat pater eius, & mater, mirantes super his*. Imò & à propria matre, Luc. cit. v. 48. *Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te*. Vbi etiam patet IOSEPH reipsa functum esse imposito Patris qualiscunque munere; vt proindè Legalis Paternitas nonnisi temerè excipi possit. 3. Per hoc quod adoptari se IESVS sinat ius sibi comparat Filiationi carnali simillimum, cui in Patre IOSEPHO correspondet, obligatio prouidendi ipsi in omnibus, vtpote Filio, ac legitimo hæredi omnium bonorum paternorum. IOSEPH quoque dum fit ipsius Filij Pater, consequitur dignitatem maximam, ius intimum in bona talis filij, ipsúmque filium, itémque ius in eos omnes & singulos, quos hic suus filius vlterius adoptat. At hi prope innumerabiles sunt. *Vidi turbam magnam, quam dinume-*

rare nemo potuit, Apoc. 7. v. 9. Huic ergo IOSEPH, ceu alteri Abrahamo, siuè *Patri multitudinis*, iure dixerit Filius suus *Patrem multarum gentium posui te.* Ad Rom. cap. 4. v. 17.

ELOGIVM XXVI.

IOSEPH

Pater ciuilis IESV.

Rectissimè Apostolus ad Galat. 4. v. 1. *Quantô tempore*, inquit, *hæres paruulus est, nihil differt à Seruô, cùm sit Dominus omnium: sed sub tutoribus & actoribus est.* At fuit IESVS quoque hæres paruulus, formam serui accipiens, cùm sit Dominus omnium. An ergo etiam ipse sub tutoribus & actoribus fuit? Fuit vtique, vel hoc ipso nomine, quia fuit propriissimè pupillus. Est enim hic Hieronymo teste apud Tholosan. lib. 12. Syntag. cap. 1. qui sine Patre est. At est haud dubiè IESVS sine Patre, carnali nempe. Est ergo propriissimè pupillus; non verò orphanus; qualis ille tantùm est, qui & Patre & Matre caret. Habet autem Matrem IESVS, solo Patre destitutus. Interest ergo Reipublicæ humanæ, cuius pars præcipua, caput inquam, IESVS est, ei prouidere de *Patre ciuili*, hoc est *Tutore* aliquo, cui securè inniti possit, approbante Matre idem pupillus IESVS.

At, quis, inquies, qualísve & quantus Vir debebit esse is, qui tutelam, cui innitatur IESVS, susci-

ſuſcipere poſſit? Si enim filio Ptolomæi vnius Ægypti Regis, Romani, nonniſi Marcum Lepidum, Pontificem Maximum, bis conſulem, virum rebus domi foríſque geſtis clariſſimum, Tutorem conſtituerunt, mille Lepidis, aut etiam infinitis maiorem oportet eſſe Tutorem IESV omnium Domini.

Verùm an alius hic eſſe poteſt, quàm IOSEPH Vir Matris IESV? Negat id Rupert. de diu. officijs c. 18. & lib. 1. de glor. & hon. filij hom. in Matth. cuius verba apud Suar. Diſp. 8. S. 1. legere potes. Et meritò negat. Si enim circumſpiciam, cuiuſmodi Vir ſit IOSEPH, eſt is 1. in arbore conſanguinitatis à Luc. cap. 3. deſcriptæ ſupremus vertex, cui deinde ſubſunt rami omnes eorum, à quibus originem IESVS ducit. At cur ipſum ex eo loco tamdiu pacificè poſſeſſo deturbemus? Eſt 2. IOSEPH Vir MARIÆ, ſanguine, matrimoniô; ſanctitate, charitate coniunctiſſimus. Tutari ergo MARIAM, & quidquid MARIÆ eſt, nemo tenetur magis. At inter ea, quæ MARIÆ ſunt, nihil melius, nihílque gratius IESV reperitur. 3. Eſt primus, qui adijt poſſeſſionem ac tutelam IESV, inter omnes viros alios. At melior eſt conditio poſſidentis; ſunt etiam bona derelicta primò occupantis. Ipſe ergo etiam de iniuriâ expoſtulare aduersùm nos poſſet, ſi ei IESVM præripere vellemus. 4. Eſt iam antè à Sacerdotibus deputatus æquè Tutor, ac Coniunx: Neque enim à coniuge tutela ſeparari poteſt. Idémque eſt con-

firmatus à Deo miraculô virgæ florentis, & columbæ eidem insidentis. 5. Est placitus B. MARIÆ Virgini, quæ ius habet supremum & vnicum istius pupilli, fundatum in communicatione purissimi sui sanguinis ac lactis materni, nullo alio homine, siue passiuè, siue actiuè concurrente. At deferre tutelam filij nulli alteri potest Mater, præterquam Viro, & quidem tali Viro, quô Mundus inter Adæ filios præstantiorem nec habuit, nec habebit. 6. Est reipsa, quoad vixit egregiè tutatus IESVM, non solùm contra Herodem Ascalonitam, & Archelaum Reges, sed etiam contra Idololatras Ægyptios, magnámque Iudæorum, qui tum vitæ, tum virtuti eius aduersabantur, partem. At in omni sententiâ modus denominandi sequitur modum essendi. Cùm ergo IOSEPH tam operosè tutatus IESVM sit, cur non & tutor ac Pater ciuilis IESV salutetur?

Ne autem mirere tutorem me vocare Patrem ciuilem. Vt enim Seruius ex Theophilo apud Tholos. c. 2. docet, *tutela nonnisi paternô animô & ciuili imperiô suscipi ac sustineri potest.* Agnoscunt etiam Iurisconsulti quodam modô *tutorem, tutando pupillum, plus esse Patrem, quàm qui eundem genuit.* Etsi ergo IOSEPHVS non genuerit IESVM solúmque tutatus sit, adhuc eminenter Pater dici debet.

ELO-

ELOGIVM XXVII.

IOSEPH

Paterfamilias IESV.

COllegium, inquit Tholosan. Syntag. lib. 15. cap. 32. in vnô retinetur, nonnisi in tribus constituitur. At secus se familia habet; hæc enim, si propriè loqui velimus, Cicerone teste in Orat. pro Cæcin. ne quidem retineri in vnô potest. Nempe familia, vt eam Varro lib. 1. cap. 16. definit, est congregatio plurium in eâdem domô sub vnius, qui paterfamilias dicitur, curâ & imperiô.

At si nunc Nazarethum ad IESVM, MARIAM, & IOSEPHVM abeam, video ibi huiusmodi Congregationem aliquam, & talem quidem, quæ iure reliquarum omnium exemplar sit: Ea ipsa igitur familia quædam necessariò est. At, vt dixi, abesse â familia Paterfamilias non potest. Hic ergo ante omnia constitui debet. At is 1. non est IESVS quia officium Patrisfamilias est, regere; ipsius verò, subesse. Nec 2. potest esse MARIA, quia licet regeret, adhuc tamen non esset nisi Materfamilias. Sed tamen ipsa quoque imperia accipere quâm dare maluit. Sors ergo & munus Patrisfamilias soli IOSEPHO remanet. Sic enim ex Chrysost. hom. 4. in Matth. argumentor. *Quodcunque proprium est Patris, si nihil lædat Virginis dignitatem, facile concedendum est* IOSEPHO. At esse Patremfamilias est proprium Patris, idémque dignitatem Virginis nihil læ-

hil lædit. Igitur esse Patremfamilias, IOSEPHO facilè concedendum est.

Neque dices, hoc ideo fieri non posse, quia IESVS non est filius IOSEPHI. Iterum enim se tibi citat. loc. Chrysostomus opponit, IOSEPHVM, inquiens, *Patrem* IESV *non generatio, sed cura paterna facit*. Vt ergo ipse Pater est, sic IESVS eius est filius.


Verùm vrget me hîc alius; & si, inquit, vt tu vis, IOSEPH est Paterfamilias IESV, erit vtique Paterfamilias Evangelicus. At non esse, propè demonstrari posse videtur. Nec enim 1. similis est Patrifamilias qui seminauit bonum semen in agro suo Matth. 13. v. 27. quia sibi tantùm ac domui suæ prouidit. Neque 2. operarios in vineam suam conducenti. Matth. 20. v. 1. quia neque Iosephum cognomine, quantumuis etiam iustum, & ab Apostolis pro vinea Domini destinatum, eiusdem vineæ operarium esse contigit. Neque 3. Vineam ipsam plantanti Matth. 21. v. 33. quia hæc gloria nonnisi Sanguine IESV comparanda fuit. Neque 4. sinenti per inertiam somni, perfodi domum suam. Matth. 24. v. 43. talis enim inertia in dedecus IOSEPHI non mediocre cederet.

Verùm contra est, quia ne quidem demonstrationis vmbram, habet discursus iste. Ad hoc enim, vt IOSEPHVS dicatur Evangelicus paterfamilias IESV, summum duo hæc etiam disiunctim accepta sufficiunt. 1. vt, saltem patrifamilias, cui laudem tribuit in Euangelio IESVS, similis sit.

Alte-

Alterum, vt ipsis suis operibus ostendat, verum se esse patremfamilias IESV. At hoc vtrumque etiam coniunctim habet IOSEPH. 1. enim *similis est homini patrisfamilias, qui profert de thesauro suo noua & vetera.* Matth. 13. v. 52. Vbi ego quidem hæc in moralem sensum traducere percommodè possem. Sed eum ipse sibi Lector aperire potest. At propriè ibi sermo est de patrefamilias, verè tali, qui quidquid est necessarium aut vtile familiæ alendæ, siue vetus, siue nouum sit, comparat precariò, aut manuum labore. At hoc IOSEPHVS optimè præstitit, à Pastoribus vilia, à Regibus pretiosa accipiens munera, indéque tolerans septennale Ægypti exilium; opificio quoque per annos bene multos victum conquirens; rem adeò nullam deesse passus, quæ idonea familiæ suæ esset.

Idem verò IOSEPHVS etiam auctoritatem Patrisfamilias, & prouidentiam, amorémque verè paternum habuit. De quorum postremô, quia præcipuum est in tali Patre, audi Rupert. in Matth. qui; *Paternum*, inquit, *Deus Pater Viro* MARIÆ *pro Filio infudit amorem.* Ergo reliqua etiam, quibus eminere Paterfamilias hic debuit, ab eodem Deo Patre infusa esse, affirmo.



ELOGIVM XXVIII.

IOSEPH

Pater matrimonialis IESV.

P*Atrem matrimonialem* illum esse dico, quem alij voce magis vsitata *Vitricum* nominant. Verùm præualuit apud me meritò prior compellatio; tum quia causam paternitatis huius, quam itidem IOSEPHO tribuo, aptius exprimit, tum quia, hæc posterior Vitrici, communiter fastidium parit, propter eos, qui paternitatem inde excludunt. Est autem siue Vitricus, siue quod idem est, Pater matrimonialis ille, qui iure matrimonij sibi coniugem obligat, liberorum ex alio viro susceptorum matrem. Hi liberi tunc succedaneum Matris coniugem agnoscere patrem suum, salutaréque patrem, & patrem audire, ac sequi tenentur. Neque est, qui hoc negare ausit. Imò si rem potius contueamur, ob eam maximè causam transit mulier ad secunda vota, vt habeant liberi, Patrem, cui sese denuo committant, cuius ductum, consilia, imperiúmque sequantur, nullo magis fræno coërcendi, quàm hoc serico filo gratissimæ paternitatis.

Verùm, ne, quæso, insiste nimium cortici, quem tibi Vitrici nomen obtendit. Neque enim, dum IOSEPHO idem adscribo, compellans eum Matrimonialem Patrem, adiungo MARIÆ, virum alium, aut IESV alium, eúmque carnalem, Patrem præstituo. Hæc enim esset impietas; imô blasphe-

blaſphemia grauiſſima in vtrumque hoc nomen. Quod equidem vel ex ſolis Evangeliſtis, clarè intelligi poſſe puto. Cur enim dicerent mitti Angelum ad Virginem deſponſatam, prætermiſſo viro? Spiritum ſanctum in eam ſolam superuenturum? inuentam eſſe, habentem de Spiritu ſancto? à IOSEPHO accipiendam tractandámque vt coniugem, eſſe? Ipſum IOSEPHVM putatum fuiſſe patrem IESV?


Sed hæc ſupponere malo, quàm vlterius probare, vt ad id, quod in pręſens agitur, rectè pertingam. Agitur autem de IOSEPHO Patre matrimoniali IESV; quem hoc nomine inſigniri debere iam olim agnouit Epiph. hæreſ. 79. & Gerſon conſid. 4. Serm. de Natiuit. Quò etiam faciunt complures Rationes allatæ ſupra; quibus nunc ſubiungo iſtas.

1. Si mater ſuſcipiat prolem ex damnato quolibet thoro, adhuc vir ille, qui huiuſmodi matris coniunx fieri ſuſtinet, ſimul fit pater eiuſdem prolis iure matrimonij. Ergo multò magis iure matrimonij fit coniunx matris, vnàque pater prolis, ab ea, nullâ ſuâ culpâ ſuſceptæ. Quid ſi autem talis mater non ſolùm ſine culpâ, ſed etiam cum publicæ vtilitatis incremento, Deique ſingulari imperio adacta, eam prolem ſuſcepiſſet, annon adhuc promptiùs paternitatem talem ſuperueniens coniunx admittat? At eſt poſtremo hoc modo à MARIA Virgine IESVS Deus-homo ſuſceptus; vt ipſe IOSEPH ex Angelo diuinitus didicit. Eſt ergo eiuſdem IESV matrimonialis Pater.

2. Si

2. Si IOSEPH nollet esse matrimonialis Pater, IESVS non esset filius matrimonialis. At hoc sine scelere quis dicere potest? Si enim rectè assequor Ecclesiasticos Canones, non solùm ille irregularis est, qui reipsa laborat natalium defectu, sed etiam qui laborare hîc & nunc propter vrgentes causas, ex vulgata opinione hominum, eo defectu præsumitur. Ergo IOSEPH non potest non velle esse Pater matrimonialis IESV.

3. Paternitas hæc est dignitas non solùm in se maxima, sed etiam æterna & indefectibilis. Correspondet enim maternitati Dei, quæ ipsa teste Suar. Disp. 12. in q. 35. art. 5. talis est. Sicut enim ad hanc sufficit vt sit fundamentum & terminus, præcedátque ratio fundandi, vi cuius verum sit dicere, quod genuerit mulier, ita præter fundamentum & terminum ad paternitatem illam plus non requiritur, quâm ratio fundandi, quod IOSEPHVS fuerit maritus siue vir MARIÆ, de quâ natus est IESVS. At nihil horum perire vnquam potest. Est ergo etiam paternitas hæc ijs positis ac manentibus iugiter resultans in IOSEPHO, intrinseca etiam, & indefectibilis, saltem ex hypothesi; eámque inter prima eius decora meritò colloco.



ELO-

ELOGIVM XXIX.

IOSEPH

Pater nutritius IESV.

NVlladum Paternitas IOSEPHO sæpiùs ab Authoribus tributa est, quàm hæc Nutritij Patris. Fas ergo mihi non est, eam silentio præterire. Quin aperitur hîc campus, qui fortè ante me patuit nulli. Quem reserare etiam tibi Lector, paratus sum, si tamen profanos imperitúmque vulgus remoueas procul, quibus scandalum persæpe parit doctrina, quantumuis sana, sed intellecta minus.

Animus inquam meus est ex hoc Patris Nutritij titulo deducere; IOSEPHVM posse verô àliquô sensu dici Genitorem IESV, tametsi ab alijs Genitoribns totô, quod aiunt, cœlô, differat. Vt ergo antè, omnem *carnalem generationem*, à IOSEPHO, calamóque meo, penitus amando, ita tamen bona multorum Philosophorum venia Nutritionem hominis dico esse *adgenerationem*; & quia IOSEPHVS IESVM tantâ constantiâ per annos non pauciores 30. nutriuit, pronuncio eum alterum eiusdem IESV Genitorem, licet non carnalem, attamen nutritium vocari debere. Vbi simul in conspectum do non solùm ipsam assertionem nostram, sed etiam postulatum, hoc est, fundamentum Philosophis placitum. De quô me vtique nemo iure conuenerit. Sed tamen breuiter, quid

obstat

obſtat beneficium nutritionis comparare cum Generationis beneficio? Certè nutritio habet inprimis omnia, quæ de Generatione præfiſcinè eloqui poſſumus; illa autem alia, quæ honeſtè commemorari nequeunt, penitiſſimè præſcindit.

Habet, inquam, 1. Nutritio eundem terminum *qui*, hoc eſt, hominem, qui non minus nutriri & conſeruari dicitur, quàm generari; imò tardius longe nutritur, quàm generetur. 2. Eundem terminum *quo* ſiue formalem, nempe formam vt nouiter vnitam acceſſorijs materiæ primæ partibus; non verò vnionem, etſi modus ſit; quia tum generatio, tum nutritio eſt via ad naturam. At vnio natura non eſt. 3. Idem ſubiectum, cum hôc ſolô diſcrimine, quòd hîc ſit materia 1. alimenti & aliti, in generatione autem materia organizata ab vtroque parente deciſa. 4. Eundem terminum *ad quem*, hoc eſt ſubſtantiam, quæ de nouo vtrobique acquiritur. 5. Eundem terminum *à quô*, ſiue priuationem formæ introducendæ. 6. Eandem actionem, ita vt qualis vna eſt, ſit etiam altera, nempe ſubſtantialis, vel accidentalis; modus, vel formalitas. 7. Idem, ſaltem in propoſitâ causâ, principium ſuô modô effectiuum. Nempe 1. ſicut vir generat, ita IOSEPHVS vir MARIÆ nutrit. 2. Non generat vir hominem immediatè. Si enim fides Medicis apud Henric. Wagnereck in Diſp. de Anim. habenda ſit; generatio hominis nonniſi triduo poſt copulam in diſpoſita materia fit. Ergo nec nutritius Pater immediatè nutrire debet, ſed ſatis eſt, vt materiam nutri-

nutritionis procuret. Vides ergo, quàm ſit nutritio ſimilis generationi, ac proinde meritò adgeneratio dicatur.

Cui ſimilitudini nihil ſanè derogat quòd generans ſit principium vitæ coniunctum circa materiam ſui corporis, quam impendit ſuppoſito nouo; nutriens verò tantùm materiam alienam largiatur. Nam præterquam, quòd materia à generante deciſa non ſit viuens, neque pars generantis, ſed vt ita dicam, ſuperfluum alimentum eius; habet hoc nutritio à IOSEPHO procurata planè ſingulare, quia non ad breue aliquod temporis momentum, prout tamen in generatione accidit extendit ſe, ſed ad annos plurimos eſt protracta. Ad hæc verò generatio generanti voluptatem affert, à genito verò nihil percipitur. At nutritio, nutritio patri, parit moleſtiam longiſſimam; nutrito autem iucunditatem perpetuam conciliat. Demum, etſi IOSEPHVS nihil de ſuo corpore impendat, paratus eſt tamen non ſolùm corpus, ſed etiam ſanguinem impendere IESV omnia nutrienti; Vt adeò neque hac ipſa ratione Nutritius iſte Pater ſit inferior Genitore.

Lubet autem hîc cum Methodio apud Barry cap. 1. exclamare. *O nutritie cuncta nutrientis! Aue* IOSEPH! *cuius Deus factus eſt indigus. Euge! qui debitorem illum habes, qui omnibus mutuatur: omnis enim creatura Deo debet; ille autem tibi debitor eſt.*

ELO-

ELOGIVM XXX.

IOSEPH

Pater, aliquô modô, naturalis IESV.

PRiusquam, quod aſſero, probem, rem ipſam tibi, remoto obſcuritatis velo, libens commonſtro. Non ergo 1. IOSEPH *naturalem* IESV *patrem* illimitatè dico. Talis enim eſt, à quo IESVS quoad humanam naturam, aut quiscunque alius homo mediante generatione accipit eſſe. At accepit IESVS hoc ſuum eſſe tantùm à MARIA. Sed neque 2. in paulò laxiore ſenſu audeo hoc patris naturalis nomen eidem IOSEPHO imponere; quatenus nempe ſoli illi confertur, qui homini ſuum eſſe naturale immediatè, & paterna prouidentiâ vnicè dat atque conſeruat. Hic enim nonniſi Deus eſt, cui paternitatem iſtam nemo poteſt aut debet eripere. Si ergo IOSEPHVS à me laudatur aliquo modo naturalis IESV pater, non eſt ille 1. modô; quia non eſt carnalis. Nec 2. quia non eſt vniuerſalis.

At ſupereſt adhuc modus alius, quô commodè, &, ex Doctorum placitis, eius nominis fiat compos. Quem tibi modum planiſſimo dicendi genere vtens, ne vnà mecum impingere poſſis, ſic explico.

1. Is eſt Pater naturalis aliquo modo, qui ſimul eſt Pater aliquo modo ſupernaturalis. At eſt IOSEPHVS ſimul aliquo modo ſupernaturalis Pater IESV. Nam 1. eſt naturalis; quia IESVM

quoad

quoad naturam humanam omni paternâ prouidentia per totam suam vitam procurauit. Est deinde etiam supernaturalis; quia siue precibus suis de congruo, siue vnico Beneficio Dei nulli alteri concesso, per grandia miracula obtinuit supremam paternitatem, summum inquam affectum, solicitudinem, ac Patris auctoritatem, vt Suarez Disp. 8. in q. 27. S. 1. v. 3. docet, in IESVM, immediatè quidem Filium MARIÆ; mediatè autem suum. Est ergo IOSEPH, aliquo modo, naturalis Pater IESV, & aliquo supernaturalis. Idque tam constanter propugno, vt nesciam, an quis hoc saluo Christiani hominis nomine negare possit.

Vlterius autem non teneo te, Lector beneuole; sed promoueo gradum ad secundum modum, qui sic se habet. Is est aliquo modo naturalis pater, qui aliquo modo est, & aliquo non est naturalis Pater. Atqui IOSEPH sic habet se respectu IESV. Nam 1. est naturalis Pater IESV, qui est Pater IESV iure naturæ. At est IOSEPH Pater IESV iure naturæ. Qui enim est iure matrimonij Pater, ille est iure naturæ. At est IOSEPH Pater iure matrimonij. Ergo.

Hîc verò Maiorem sic probo. Quia matrimonium non est contractus ciuilis, sed naturalis; vt suppono ex communi Theologorum. In eo autem naturali contractu 1. ad Cor. 7. v. 4. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Est ergo mulier quasi fundus viri, & vir quasi fundus mu-

lieris. At si quis fundum etiam iure ciuili comparet sibi, simul comparat sibi omnes eius naturales fructus. Imò, in instit. de rerum diuisione §. cum in suo solo. Vers. Ex diuerso. Et in L. etiamsi frumentum §. penult. ff. de rei vendit. Et in L. 2. C. eodem tit. quod in alieno solo nascitur, vel ædificatur, vel seminatur, aut plantatur, statim vt in terram radices egit, eius est, cuius est solum, & fundus. At quantò verius est hoc, cùm solum ac fundus est iure naturæ alicuius, sicuti mulier est viri, & vir mulieris. At est IOSEPH, vt ad probationem etiam minoris veniam, vir MARIÆ, Matth. 1. v. 16. Est ergo iure naturæ Dominus non solùm MARIÆ, sed etiam fructus, qui post aditam possessionem ex eius vtero & consentiente Domino legitimè natus est. Hic autem est IESVS, verè benedictus fructus ventris eius. Est ergo IOSEPHVS iure naturæ huius fructus Dominus. At non est Dominus, nisi paternus. Ergo.

2. Non est Pater naturalis; quia vt dixi, nec est carnalis, neq vniuersalis. Est ergo IOSEPH tantùm aliquo modo, & non omni, naturalis Pater IESV. Circa quod vlterius si dubites, consule Suar. cit. Gratian. lib. 2. cap. 2. de 10. paternit. IOSEPHI & Carthag. lib. 4. Hom. 11.



ELO-

ELOGIVM XXXI.

IOSEPH
Pater Superior IESV.

MIraris Lector, IOSEPHVM me *Patrem Superiorem* potius IESV inſcripſiſſe, quàm *Præpoſitum*. At mirari deſines, ſi memineris, IESVM Dei filium, quoad vtramque naturam, etiam humanam, ſubſiſtere ſubſiſtentia verbi, ideóque ab ipſo ſuo conceptu exemptum eſſe ab omni iuriſdictione ac ſuperioritate publica tum ſacra Pontificum, tum profana Auguſti & Herodis, itémque priuata IOSEPHI ac MARIÆ ſtrictè tali. Non ergo poteram, ſiue Rectorem, ſiue Præpoſitum familiæ ſuæ, IOSEPHVM nominare. Neque enim regere ſufficit, aut præfici ad hæc Prælatorum nomina imponenda; ſed præterea iuriſdictio requiritur, cuius IOSEPHVS in IESVM capax eſſe non poteſt. Quæ ipſa etiam cauſa fuit, cur ne ipſis quidem, *Abbatis*, aut *Miniſtri*, nominibus, quorum illud IESVS Marc. 14. v. 36. hoc Marc. 10. v. 43. vſurpauit, vtendum exiſtimarem. Sunt enim, quoad fieri poteſt, in ſua famoſa ſignificatione accipiendæ voces. Cùm ergo hæ, quæ modò allatæ ſunt, afferríque poſſent, iuriſdictionem qua IOSEPHVS caruit, propriè talem, ſupponant, meritò confugere ad amabile Patris nomen debebam.

Quod ſi tamen meo in Religionem, quam profiteor, affectui vndique obligatiſſimo, quid licet:

Nazarethana Domus videtur mihi prima Domus Professa Societatis IESV. Nam, Societatem IESV primò omnium Nazarethi coaluisse, res ipsa loquitur. At non est ibi propriè Collegium erectum, vt itidem palàm est. Est tamen Domus illa, Professæ Domui simillima; in qua de annuis prouentibus nihil; nihil de vineis, pascuis, syluis, nihil de gregibus & armentis; nihil de mercibus ac quæstu propolarum inuenitur. Habitat ibi pauperrima Mater, texendo victitans; habitat IESVS, *non habens, vbi caput suum*, commodè scilicet, *reclinet*. Matth. 8. v. 20. statere etiam vnico, quam in censum penderet, carens; habitat demum etiam IOSEPHVS fabrili opere, suam & familiæ suæ necessitatem perægrè sustentans. Quos etiam hanc suam paupertatem aliàque Professorum vota palàm videas cum IESV Pontificis Summi approbatione profiteri, ne illo quidem quarto voto prætermisso, quo nunc se Societas ad Apostolicas Missiones eiusdem in terra Vicario supremo obstringit. Auspicatus est istas primus omnium ipse IESVS. Hunc etiam suo modo secuta est Mater, ne quidem à cruce abesse sustinens. Verùm IOSEPHO eò vsque, vt infra Elog. 67. dicetur, viuere non licuit. Et si licuisset, abesse à Professa sua Domo Pater Superior non debebat. Hoc enim officium Præpositus Generalis IESVS, cui vni Iurisdictio suprema & ordinaria eius Domus competit, delegauit illi, ceu nunc solet Adm. R. P. N. committere Ministro tanquam Vicepræposito curam Romanæ

Domus;

Domus; qui etsi etiam ipse regat limitata tantùm potestate, verè tamen est Pater Superior Domûs. Hac ergo eadem ratione IOSEPHVM quoque Patrem Superiorem IESV Domúsque Nazarethanæ appellare iuuat. Vt vt autem recuset hoc alterum Superioris nomen, est tamen debitum ipsi, & impositum ab inquilinis suis, qui potestatem constituendi habuerunt. Illi nunc Patris prædulce nomen meritò præfigitur, argumento futurum omnibus Superioribus vt Patres præcipuè studeant esse, dicíque. Ideo Christus, velut inculcans, iucundam Paternitatis memoriam, *Abba Pater*, exclamat apud Marc. loc. cit. repetitque Apost. ad Rom. 8. v. 15. & ad Galat. 4. v. 6.

Cæterùm duo hîc obijciuntur. 1. est, quòd inter Regulares Patris nomen nonnisi Sacerdotibus conueniat. At IOSEPHVS Sacerdos non fuit. Deinde, quòd Matth. 23. v. 9. dicatur; *& Patrem nolite vocare vobis super terram.* Verùm nec obstat priùs; quia excipi haud dubiè Superior debet. Nec posterius; tum quia adhuc genitores nostros licitè appellamus Patres, tum quia sermo ibi est, ad eos, qui affectu pharisaico ambiunt, citra meritum & officium, Patres, & Rabbi, appellari, quos primò agnoscere oportebat Patrem cœlestem, & Christum vnicum Magistrum totius mundi. Fuit ergo IOSEPHVS non minùs Pater Superior IESV, quàm IESVS ei ac MARIÆ fuit subditus & obsequens filius.

ELOGIVM XXXII.

IOSEPH

Pater Sacramentalis IESV.

NE, quæſo, detorqueas in me illa Domini ad Iob de Eliu verba Iob 38. v. 2. *Quis eſt iſte inuoluens ſententias ſermonibus imperitis?* Quàm parùm enim diei noctem, tam parùm claritati ſermonis præfero obſcuritatem eius. Is certè conatus meus eſt; & loqui malo tacendo, quàm loquendo tacere, dum ea loquor, quæ intelligere nemo poteſt.

Igitur hic per *Patrem Sacramentalem* accipio *Patrinum* cuius munus eſt ſupplere defectum Patris, ſuſcipere de Sacramento recèns initiatum, imponere illi nomen, ubi id in vſu eſt. Si ergo oſtendam tibi, hæc tria integrè à IOSEPHO per id tempus, quô IESVS Sacramento circumciſionis initiatus eſt, obita eſſe, næ tu negare non potes, eundem IOSEPHVM Patrinum eſſe IESV, hoc eſt, eſſe Sacramentalem Patrem. At idipſum docet Carthag. lib. 4. Hom. 11. & Gratian. lib. 2. cap. 2. & veriſimile cuiuis videri poteſt, propter vrgentes Rationes.

Nam 1. certum eſt, primum quæſtionis huius cardinem eſſe, quòd circumciſio ſit verum Sacramentum, & quidem antiquius Sacramentis veteris Legis, quæ per Moſen promulgata eſt. At hac in re Coninck q. 61. a. 3. *conuenit,* inquit *inter omnes, circum-*

circumcisionem fuisse verum Sacramentum. Stat ergo cardo quæstionis pro nostra parte.

Sub hæc autem cardo alter est, quòd IESVS idipsum circumcisionis Sacramentum acceperit. Sed eum loco nostro tam validè defigit Luc. *2.* v. *21.* vt auelli contra nos à nemine possit. Ait enim: *Et postquam consummati sunt dies octo, vt circumcideretur puer,* &c. Verè igitur IESVS Sacrámentum circumcisionis accepit. Equidem haud operosè eius causas complures dare possum. Sed absoluit me labore isto Cornel. à Lap. in Luc. cap. 2. quem si adeas non pœnitebit. Mihi autem id vnum abunde sufficit, circumcisum esse IESVM.

Reliquum est, vt cardinibus his, ipsam Resolutionis meæ ianuam affigam, hoc est, vt declarem, tres Patrini partes, omnes, ac singulas, IOSEPHVM suscepisse. Vbi vtiqne de prima, videor mihi, silere posse. Nam si quis fortè pupillus est, nonne curam ac paternitatem eius is suscipit in se, qui proximus est, siue matri pupilli, siue ipsi pupillo? At nemo IESV, Matrîque IESV propior est IOSEPHO. Dic deinde, si quis præuentus necessitate graui Sacramentum Patrinum requirens accipere debeat, annon is simul & Ministri & Patrini munus obire tenetur, qui necessitati tali vltro occurrit? At præter IOSEPHVM, intra primum nati IESV octiduum, ne quidem cogitari potest, occurrisse alios, cum eundem etiam vrbe ac hospitio cum MARIA, ipsóque IOSEPHO excluserint.

Hæc autem qui concedit mihi, profectò negare non potest istud alterum, videlicet suscepisse IOSEPH IESVM vulnere, ac sanguine, cruentatum. Si enim suscepit illum de Virgineô exilientem vterô, vbi nullum vulneris sanguinisve vestigium erat; quomodo in dolore tanto, tantóque periculo, sine graui crimine, destituere potuit, quem alius nemo, ne quidem communi lecto voluit suscipere?

Sed ad tertiam partem transeamus. Eam Matth. 1. v. 21. recenset, dum Angelum inducit IOSEPHO apparentem, cum dictô: *Pariet autem Filium*, sibi nempe & tibi, *& vocabis nomen eius* IESVM. Debet ergo IOSEPH primò Pater esse; tum verò talis Pater, qui ius habet imponendi natiuum nomen. Quid autem hîc, obsecro, clariùs dici potest? Annon autem reipsa imposuit nomen IESV, quod *vocatum est ab Angelo priusquam in vtero conciperetur?* Nefas est, opinari aliud de Viro MARIÆ, Patre & Patrino IESV. Sed si nobis diuinare licet, credimus IOSEPHVM, dum dixit; IESVS est nomen eius, simul huius vocis anagramma apprehendisse; *Tu es Ouis*; hoc est σὺ ἦ ὄϊς. Neque enim in hoc minor fuit præcursore Ioanne hic diuturnus præcursor IESV; ex quibus ille itidem dixit Ioannis 1. v. 26. & 29.

Ecce Agnus Dei.

ELO-

ELOGIVM XXXIII.

IOSEPH

Compater Spiritus Sancti.

DVobus modis ostendi potest, IOSEPHVM esse Spiritus sancti Compatrem, respectu IESV. Quod quidem fidem tuam, ac fortè rationem superat; Verùm, si finis, ea tum fidei, tum rationi tuæ, momenta appendam, vt in sententiam meam vltro concessurus sis, dummodo vocem Compatris non nimis rigidè accipias.

Igitur 1. sic ratiocinor pro IOSEPHO nostro. Pater Legalis est compater Patris naturalis. At est IOSEPH pater Legalis, Spiritus sanctus verò est pater naturalis, ea nempe ratione, quâ Deus dici potest esse pater noster naturalis. Ergo IOSEPH est compater Spiritus sancti. Hæc consequentia certa est, vtpote illata ex ratiocinandi forma omnium præstantissima. At materia, inquies, præmissarum peccat? Itàne verò? & an Maioris, minorísve? At est Maioris materia ex terminis nota. Compater enim est pater filij, cuius alius itidem est pater. Debet ergo pater Legalis esse compater patris naturalis. Est autem pater Legalis, prout hîc accipitur, qui etsi illiberis moriatur, fauore tamen Legis Mosaicæ Deuter. 25. v. 5. accipit filium à fratre suo excitante semen mortui in superstite vxore, siue fratria; qui proinde pater talis filij solùm naturalis est, hoc ipso, quòd ille ad familiam defuncti computari

debeat. Ex hoc verò,& minoris materia,pendet. Si enim has patris Legalis conditiones IOSEPHVS, & naturalis Spiritus ſanctus habeat, quis porrò de illius bonitate dubitet? At probari poteſt habere. Nam 1. IOSEPH illiberis eſt. 2. Per Virginitatis votum mortuus eſt carni ſuæ. 3. Indidem proximè acceſſit ad Deum. *Virginitas* enim,inquit Baſil. lib. de ver. Virg. *incorruptibili Deo hominem ſimilem facit*. Et Nazianzenus in carm. de Virg. *Prima Trias Virgo eſt*,&c. Et Chriſtus conſubſtantialis Spiritui ſancto apud Matth. 22. v. 48. *Quicunque*, inquit, *fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt*. At IOSEPH vir iuſtus hanc haud dubiè fecit. 4. Conceptus eſt IESVS de Spiritu ſancto ex MARIA Virgine. Concurſum ergo patris Legalis ſuppleuit idem Spiritus ſanctus, vt verè dicatur IESVS incarnatus, & conceptus de illo, iuxta vtrumque Symbolum. 5. Eſt IESVS non ſolùm filius MARIÆ, ſed IOSEPHI. Nam Matth. 1. v. 21. dixit ad IOSEPH. *Pariet autem filium*; ſubintellige, tibi. Voluit enim inducere IOSEPHVM, vt maneret cum MARIA. Eſt ergo etiam minor plenè probata.

Rurſum verò 2. ſimili argumentandi genere alterum quoque modum exhibeo. Nimirum Patrinus eſt compater patris, cuius voluntate in Sacramento leuat Filium, nomènque imponit. At, vt oſtenſum proximè eſt, IOSEPH eſt patrinus, ſiue vt dicebam, pater Sacramentalis IESV. Ergo etiam ex hoc capite eſt compater Spiritus ſancti

Maior

Maior ex Trident. Seſſ.24. cap.2. conſtat, vbi inter compaternitates, ſiue cognationes ſpirituales, ponit hanc ipſam, quæ inter patrinum & eos, ad quos patrini deſignatio ſpectat, conſurgit. Minor quoque omni ex parte ex dictis deducitur.

Solùm exigere à me poſſe videris, vt probem, quod patrini munus, eorum voluntate, quorum maximè intereſt, ſuſceperit. Id quoque perfacile eſt. Nam 1. Mater ne quidem aſpectum ferre poſſe videtur ſanguine manantis vulneris IESV innocentiſſimo inflicti. 2. Vrbe, domo, focóque, & thoro excluſa, habere nequit, quem patrinum roget. Eâdem autem fortuna conflictatur IOSEPHVS. Præter ipſum ergo, qui patrinus ſit, nemo eſt 3. Spiritus ſanctus qui cætera, quæ Patris ſunt, egit, IOSEPHVM apertè in patrinum aſſumpſit cit. v. 21. *Et vocabis nomen eius* IESVM; quaſi diceret. Etſi tibi pro Patre naturali in generatione Filij fuerim, te tamen, cuius vices egi, Patrem eius conſtituo, ſimúlque in hac tam graui neceſſitate patrinum deſigno. Tuum adeò ſit, ex me & MARIA coniuge, imponere nomen IESV. Vides ergo IOSEPHVM eſſe compatrem IESV, hoc ipſo, quia nomen hoc primus inter homines pronunciauit; quod præcipuum compatrum, ſiue patrinorum officium eſt.

ELO-

ELOGIVM XXXIV.

IOSEPH
Minister IESV in Circumcisione.

IGnosce, Lector, si paternitatum genera omnia executus non sim. In tanta enim amplitudine Laudum, quæ IOSEPHO conueniunt, quî fieri potest, vt tuo in eundē ardentissimo amori faciam satis? Igitur scito relinquere me *Patres electos, Patres conscriptos, Patres patratos, Patres ciuitatis, ac Patriæ Patres*; quos tu quidem, vt voles, in IOSEPHVM transferre poteris. Verùm me exspectat noua dignitas eiusdem IOSEPHI, vel par prioribus, vel etiam maior. Ea dignitas est, ipsum esse Ministrum IESV in circumcisione.

Igitur scopus modò meus esse debet, vt omissis alijs omnibus, hoc vnum iam probemus, IESVM à IOSEPHO circumcisum esse. Ad hoc autem duo requiruntur. 1. quod potuerit circumcidere; deinde quod ipse, & non alius circumciderit. Atqui perlibenter probabo vtrumque, dummodo liceat supponere pauca quædam. Scilicet 1. circumcisum esse IESVM octauo, postquam natus est, die. 2. circumcisum esse in loco natiuitatis. Vt enim Suar. Disp. 15, S. 1. certum est, inquit, ab eo loco MARIAM Dei Matrem, vsque ad diem Purificationis nunquam discessisse. Idque Suar. ex Epiphan. lib. 1. contra hæres. tom. 1, cap. vlt. post hæres. 20. se didicisse fatetur. 3. non apparere, quis alius

alius id loci præter IOSEPH circumciderit IESVM.

His autem ſuppoſitis; probo inprimis prius, & quidem in forma, quod potuerit circumcidere; hoc modo. Si IOSEPH non potuiſſet circumcidere, ideo non potuiſſet, quia vel Lex obſtat, vel conſuetudo. At neutrum obſtat; poteſtque potius oſtendi, & Patrem, & Matrem, & quemuis alium potuiſſe circumcidere. Potuit ergo circumcidere IOSEPH. Hic tu quidem obfirmes te, quantumcunque velis. Sed tamen palmam vt cedas, etiam ſpes eſt, cogi te poſſe; ſi quidem minor probetur. At eam ſic probo 1. de Patre Geneſ. 17. v. 23. *Tulit Abraham Iſmael filium ſuum, & omnes vernaculos domus ſuæ, vniuerſóſque, quos emerat, cunctos mares ex omnibus viris domus ſuæ, & circumcidit carnem præputij eorum ſtatim in ipſa die.* Et cap. 21. v. 4. *Vocauítque Abraham nomen filij ſui Iſaac, & circumcidit eum octauo die, ſicut præceperat ei Deus.* Actor. 7. v. 8. *Et ſic genuit* (Abraham) *Iſaac, & circumcidit eum die octauo, & Iſaac Iacob, & Iacob duodecim Patriarchas.* 2. autem de Matre. Exod. 4. v. 25. *Tulit illico Sephora acutiſſimam petram, & circumcidit præputium filij ſui.* 1. Machab. 1. v. 63. *Et mulieres, quæ circumcidebant filios ſuos, trucidabantur.* 2. Machab. 2. v. 20. *Duæ mulieres delatæ ſunt, natos ſuos circumcidiſſe, quas infantibus ad vbera ſuſpenſis per muros præcipitauerunt.* 3. de alijs ex cit. Geneſ. 17. Et Ioſuæ 5. v. 7. *Horum Filij in locum ſucceſſerunt patrum, & circumciſi ſunt à Ioſue, quia ſicut nati fuerant, in præputio erant, nec eos in via ali-*

quis

quis circumciderat. 2. Machab. 2. v. 46. *Et circuiuit Matthatias, & amici &c. & circumciderunt pueros incircumcisos.* Actor. 16. v. 3. *Hunc voluit Paulus secum proficisci, & assumens circumcidit eum propter Iudæos.* Ergo IOSEPH quoque potuit circumcidere IESVM.

Posterius verò, quod nempe IOSEPH circumciderit, pro me testatur Ephrem. in Orat. de Transf. Domini. *Si non erat Deus, pastores, quem adorabant? si non erat caro,* IOSEPH *quem circumcidebat?* Et Bern. Serm. 1. de circumc. *Sed nec ipsius Ministri contemnendum est testimonium, ei, qui imitari quærit Saluatoris exemplum; hic est* IOSEPH. Verè ergò ab eo circumcisus est puer, à quo vocatum est nomen eius IESVS. At sic vocatum est à IOSEPHO. Ergo.

Hîc tu mihi quidem fortè alios Patres, qui non circumciderunt, oppones. At ego tibi vicissim oppono meos; ac præterea obtendo hinc paupertatem Bethlehemitici stabuli; inde holocaustum Filij Dei à nullo magis, quàm à Patre offerendum. Fuit ergo IOSEPH etiam Minister circumcisionis IESV.

ELOGIVM XXXV.

IOSEPH

Angelus custos IESV.

ETsi suus vnicuique homini Viatori Angelus custos sit, etiam Apostolis, Ioanni Baptistæ, IOSEPHO, ac MARIÆ Matri Dei, excipiunt ta-

unt tamen cum S. Thom. in 1.p.q.113.a.4. & 3.p. q. 29. a. 1. Theologi IESVM. Et rectè; quia vel consideratur, quà Deus, vel quà homo. At non est ipsi Angelus custos, primô modô; quia tunc periculum adire damnûmve pati non potest. Nec secundô; quia, quà homo, adhuc dupliciter consideratur; scilicet secundùm animam, & secundùm corpus. Atqui IESVS secundùm animam est comprehensor; secundum corpus, Viator quidem ratione passibilitatis est, simul tamen cum anima immediatè regulatur à Verbo, caretque fomite & rebellione hominis inferioris contra superiorem, siue rationem; vtpote sapientiâ & gratiâ ita plenus, vt in ijs nihil ipsi additum fuerit; prout docuisse S. Thom. in 3. p. q. 7. a. 12. supra dixi. Ergo IESVS Angelo custode opus non habuit.

At, inquies, varia Angeli obsequia præstitere IESV? Ita est, vt patet Luc. 1. in Annunciatione B. Virgini MARIÆ factâ, Luc. 2. in aliâ factâ Pastoribus. Item Matthæi 1. & 2. in quatuor factis IOSEPHO. Et Matthæi 4. in deserto, vbi IESV ministrabant. Luc. 22, in monte oliuarum, vbi eidem apparuit Angelus de cœlo confortans. Matth. 28. Marc. 16. Luc. 24. Ioan. 20. in Resurrectione. Actor. 1. in Ascensione. Matth. 24. in extremo iudicij die. Hinc tamen plus inferri non potest, quàm Angelos fuisse ministros IESV; non verô fuisse custodes. Inter hæc duo enim hoc graue discrimen est, quod si propriè loqui velimus, minister sit inferior, custos superior eô ad cuius custodiam deputatur.

tatur. At repugnat Angelum dari ſuperiorem IESV; aut non eſſe Miniſtrum & inferiorem ipſo. Imò ſi Cornelio à Lap. in Luc. cap. 2. creditur, omnes Angeli, nullo excepto, IESVM recèns natum adorârunt, ac Muſica ſua cœleſti ſalutarunt, ſimul homagium præſtantes, miniſtrandi illi, & propter illum alijs.

Sed tamen hæc ipſa nihil officere poſſunt deſtinatæ IOSEPHI gloriæ; quam ei Paulus de Barry cap. 5. mecum tribuit. Nam 1. vt in Elogio 71. ſignificabo, etiam omnibus Angelis collectivè ſumptis, maior eſt. Nihil ergo mirum, maiorem ipſi honorem habuiſſe IESVM. 2. Cuſtodia cum paternitate, iure naturali, indiuidua eſt. At hanc non Angeli, ſed IOSEPHVS habuit, agnouítque in eo IESVS, & coram diſcipulis, vt teſtantur Morales in Matth. & Iſidorus Dominica, laudauit, hiſce vtens verbis. *In rebus omnibus ita cum* IOSEPHO *agebam, velut filius eius eſſem: eum ego Patrem vocitabam; viciſſim ille me filium appellauit: eius omnes nutus & imperia ſequebar, &* IOSEPHVM *Patrem meum, non ſecus, imò plus, quàm pupillam oculorum meorum diligebam.* 3. IESVS fuit ſaltem ſuiipſius cuſtos. Atqui IOSEPH, vtpote Pater, eſt pars IESV. Ergo etiam eſt pars cuſtodis. Vbi minor, quod Pater pars ſit filij, Ariſtot. eſt lib. 5. Ethic. cap. 6. Et Iuriſconſultorum reputantium Patrem & Filium pro vna perſona. 4. Cuſtodire, præcipuum eſt Tutorum munus. At IOSEPH eſt IESV tutor, Ergo cuſtos eius neceſſariò eſt. 5. Ex SS.

Litte-

Litteris constat, IOSEPHVM custodiæ causæ subtraxisse Herodi & Archelao IESVM, perditúmque solicitè requisiuisse. Atqui denominari, sequitur esse. 6. Nulla est Ecclesia sine *custode*. Atqui Domus Nazarethana, in quâ IESVS, MARIA, & IOSEPH habitârunt, Ecclesia est omnium Ecclesiarum sanctissima. Ergo debuit aliquis esse *custos* eius. At nemo potuit esse præter IOSEPHVM. Ergo IOSEPH fuit *custos* eius, itémque IESV, qui pars præcipua est eiusdem Ecclesiæ, siue Sacræ Congregationis. 7. IOSEPH est Angelus, & quidem vt Gratianus tradit probâtque lib. 4. & 5. tit. 4. vitâ, meritis, gratiâ, ministeriô cum omnibus Angelorum Choris communi. Est ergo verè Angelus, Custos.

ELOGIVM XXXVI.

IOSEPH

Coadiutor IESV Redemptoris nostri.

INter ea, quæ inimici nostri reprehendunt in Societate IESV, tum à pontificibus summis seorsim, tum à Concilio Trident. Sess. 25. cap. 16. approbatâ, est etiam gradus Coadiutorum, diuersus à Professorum gradu, ac minor illô, vtpote solubilis à Præpositô Generali eiusdem Societatis.

Verùm hac in re, siue imperitia instituti, siue maleuolentia animi noua omnia fastidientis transuersos eos agit. Nam 1. quæ potest esse seruitus

mancipatione maior? At hæc licet maxima manumiſſione ſoluitur. Quid igitur mirum, hunc ipſum Coadiutorum gradum ſimul eſſe gradum perfectiſſimæ ſeruitutis, quô ſe homo obligat Deo? Atqui tamen quæcunque ſeruitus à legitimo Magiſtratu deſtrui poteſt. 2. Annon matrimonium in Veteri Lege ſoluebatur repudij libello? At eſt hic ipſe Status Coadiutorum quædam matrimonij ſpiritualis ſpecies. 3. Nonne & Profeſſorum gradus quantumlibet firmus, quâ coiuit Pontificum poteſtate, denuo confringi, & poteſt, & aliquando ſolet? At huic eidem poteſtati innituntur Superiores Societatis, dum aliquando ex grauibus cauſis dimittunt eoſdem Coadiutores. 4. Annon ijsdem indulgentijs & gratijs Pontificijs, atque in genere eodem victu, veſtitúque, Profeſſorum inſtar, prouidentur Coadiutores? 5. Annon ij maximè ad Rectorum obeunda officia admouentur, & admouendi conquiruntur? Etſi autem aliqui ex ijs, propterea, quòd Sacerdotio initiati non ſint, & ad officia Marthæ applicentur, illuc vſque non pertingant, occaſiones tamen complures habent, quibus, non tam Patrum Fratres, quàm *Patres charitate*, fieri poſſint.

Sed vileſcit his Societatis obtrectatoribus ipſa hæc Coadiutoris vox. Quaſi verò non eſſet eadem cum Adiutoris voce; quæ, quia toties Deo tribuitur in Sacris Litteris, diuinitatem quandam accepiſſe videtur. Et malim ego tamen Coadiutoris nomen præcipuè retineri; tum quia placitum fuit

S. P. N.

S. P. N. Viro ſapientiſſimo; tum deinde, quia origo etiam huius vocis perantiqua eſt, valdéque honorata; adeò vt ijs quoque, qui Epiſcopis ſeniò morbóque fractis in ſubſidium cum ſucceſſionis ſpe adiunguntur, honoris cauſa imponatur.

Verùm longior ſum, quàm patiatur præſens forum. Igitur ad IOSEPHVM recipio me, probóque Coadiutoris nomen, ſupremum dignitatis & gloriæ apicem ab eodem IOSEPHO accepiſſe, hoc ipſo, quòd verè ac propriè fuerit Coadiutor IESV in redimendo genere humano. Inprimis autem id docuit Carthag. lib.4.Hom.5. à fol.314. vbi, *Trinitas*, inquit, *Perſonarum, noſtram Redemptionem operata eſt; IESVS, vt auctor ſalutis; MARIA, vt mediatrix; IOSEPH, vt coadiutor. Vnde ſicut cum bellum initur, victoria non ſolùm tribuitur militibus, qui cum hoſtibus congreſſi ſunt, ſed etiam excubijs; & exploratoribus, qui per abſcondita itinera, clàm, milites, & arma introduxêre, ita licet Redemptio generis humani ſoli Chriſto, tanquam principali cauſæ, debeat adſcribi, &c. MARIÆ tamen eatenus etiam attribui debet, quatenus contulit Chriſto carnem & ſanguinem, pretium noſtræ Redemptionis ei ſubminiſtrans. IOSEPHO etiam eius Sponſo, ſuô modô partim debet dari, quia ipſum fortiſſimum Ducem Diaboli debellatorem, dum infans erat, & puer, abſcondit, & clàm educauit, ac enutriuit, &c.* Hæc ille.

Quibus accedunt etiam Rationes hæ. 1. quia IOSEPH vnus omnia Coadiutorum, quos temporales vocamus, munia complexus eſt. 2. quia non

paucas etiam Spiritualium Coadiutorum functiones obiuit, regendo ferè occupatus, & MARIÆ Virginitatem custodiendo. Christum quoque diutissimè & operosissimè adiuuit, ac demum se quoque eius honori & amori superimpendit. Iniurius ergo in IOSEPHVM est, quisquis negare audet Coadiutorem esse IESV Redemptoris nostri.

ELOGIVM XXXVII.

IOSEPH

Propheta magnus in Israel.

BEne sit Abulensi, qui me clarissimis verbis quæst. 57. in cap. 1. Matth. primus docuit, IOSEPHVM Prophetam fuisse. At Rationes insuper reperio, quibus ex S. Thoma demonstratur, omnium Prophetarum fuisse præcipuum. Credisne autem mihi, hæc, Amice Veritatis? Dubitas nimirum de rebus, quæ communem vulgi excedunt fidem; cuiusmodi ista quoque sunt. Verùm accomoda pauxillùm vacuam affectibus mentem; dum pro IOSEPHO depugnem.

Primùm tria requiruntur à Doct. Ang. in 2.2. q. 171. a. 1. ad hoc, vt quis Propheta sit; nempe cognitio inspirata à Deo rerum procul remotarum à cognitione hominum; earundem rerum reuelatio in bonum Ecclesiæ; & operatio miraculorum. At ex his tribus 1. requiritur principaliter; 2. secundariò; 3. verò nonnisi per accidens prophetiæ coniun-

coniungitur. Ita S. Thom.cit. Est enim operatio miraculorum solùm propter alios, qui credere nolunt; & ab Apost. I. ad Corinth. 12. expressè distinguitur à prophetia; & à plerísque prophetis reipsa abfuit; puta, Ieremia, Ezechiele, Daniele, & vniuersim a duodecim prophetis minoribus: ipso etiam S. Ioanne Baptista. Atqui tamen maior inter natos mulierum propheta Ioanne Baptista nemo est, Luc. 7. v. 28. de quo apud Ioann. 10. v. 41. multi dicebant. *Quia Ioannes quidem signum fecit nullum.* Quamuis ergo IOSEPH miraculum viuens operatus non sit, propheta tamen propterea non desinit esse. Atqui, vt patet, auctoritate S. Thomæ, & Abulensis, neque alterum tam strictè ad prophetiam requiritur, vt abesse non possit. Id enim Scriptura claris verbis affirmat, Genes. 20. v. 7. *nunc ergo redde viro suo vxorem, quia propheta est.* Atqui Abraham (de illo enim ibi sermo est) nulli tum annuntiauit prophetias suas. Suadétque Ratio, quia prophetia est donum intellectui communicatum, sæpe tempore longissimo distans ab enunciatione, quæ per os fit.

Sed hac limitatione neque ego, neque IOSEPH opus habemus. Est ille, fuitque propheta etiam his duabus conditionibus ad prophetiæ propriè talis donum requisitis. Nam I. Angeli diuinæ voluntatis certissimi internuncij erudierunt IOSEPHUM minimùm quaternis vicibus de rebus procul ab eius intellectu positis. Matth. I. v. 20. cap. 2. v. 13. & 19. & 22. Est ergo in IOSEPH prima

conditio prophetiæ; quam tamen quiuis prudens sæpius impletam esse dubitare non potest.

2. Idem IOSEPH ea, quæ Angelis docentibus didicit, in bonum Ecclesiæ, tum immediatè, tum mediatè euulgauit. Et immediatè quidem, quia IESVS & MARIA cum ipso, aut tota fuerunt Ecclesia, aut certè pars præcipua. At mediatè nobis quoque vel maximè consuluit, quia conseruari membra corporis Mystici, quod Ecclesia est, aliter non possunt, nisi prius caput conseruetur & collum. At caput eius IESVS est, collum verò MARIA, quibus prophetia sua consuluit IOSEPH. Habet ergo IOSEPH totum illud, quod ad prophetam iure requiritur.

Sed iam ad alteram partem aggrediar; pro qua sumo gladium, quod est verbum Dei, porrectum ab Apostolo Paulo in 1. ad Corinth. 14. vbi, dum comparat dona Spiritus sancti inter se, vult illa esse maiora alijs, quæ Ecclesiæ magis proficiunt; & nominatim prophetam idcirco maiorem esse eo, qui linguis loquitur. Atqui nullius vnquam prophetia, (MARIAM semper excipio) profecit magis, quàm IOSEPHI, vtpote redundans in IESVM & MARIAM. Sed neque me hîc Angelicis suis armis destituit S. Thomas, qui in 1. p. q. 57. a. 5. ad 3. & 2.2. q. 174. a. 6. in c. ait: *Quantò Prophetæ sunt viciniores Christo, tantò sunt maiores, & magis pòst, quàm antè, plenius enim pòst instructi sunt.* At IOSEPH inter omnes Prophetas vicinissimus fuit Christo, antè, vt pòst. Ergo. Tandem verò nil ob-

nil obstant verba eiusdem Christi supra ex Luca de maioritate Ioannis Baptistæ allata. Iis enim statim subiecit; *qui autem minor est in regno Dei, maior est illo.* At IOSEPH est minor vita priuata, paucis, dum vixit, cognitus, &c.

ELOGIVM XXXVIII.

IOSEPH

Exul primus propter Fidem in IESVM.

HOc Elogium Matthæus cap. 2. in tanta veritatis luce tribuit IOSEPHO, vt face alia ingenij humani magis illustrari non possit. Adijt enim eodem teste idem IOSEPH exilium suum per id tempus, quô IESVS tres Orientis Regios Magos per aliam viam dimisit in regionem suam. At nemo ipsum simili exilio præuertit, aut præuertere potuit. Illud igitur vnum mihi curæ esse debet, vt ex ijs, quæ hoc exilium circumstant, repræsentem posteritati virtutem Viri. Sic enim omnia in fastigio per se posita esse videntur, vt supra modium necessariò sint collocanda, siquidem Evangelio parêre velim.

Ac 1. Exul iste noster, noctis, & somni tempore ad quietem destinato, percellitur tristissimo nuncio, circa rem & personas omnium gratissimas. 2. Iubetur abrumpere somnum, nunquam magis necessarium, ad laborem, quô nullus esse acerbior & periculosior potuit. 3. Nulla permittitur

mora ; ne quidem dum noctem dies discutiat. 4. Nulla excusatio auditur, quæ tamen posset esse plurima, propter innumeras difficultates. 5. Fuge, inquit Angelus. Sed quid fugâ viro forti molestius? 6. Per iter longissimum, trecentorum scilicet milliariorum, aut ducentarum Leucarum. 7. Via prorsus ignota ac periculosa. 8. Absque omni Viatorio apparatu, quô teneri se contra cœli inclementiam, terræque incommoda potuissent. 9. Sine omnibus comitibus, ac ducibus. 10. Cum IESV Dei Filio; qui licet Mundique totius Dominus supremus sit, adhuc tamen vagit in cunis, & lacte Virgineo pascitur.

11. Cum Matre vixdum purificationis Legem implente; imò vixdum ab itinere Ierosolymam instituto respirante. 12. Relicta paterna domo, vrbeque sancta Ierosolyma Dauidis, Regúmque inde descendentium, ac plerorumque Prophetarum Sede; in qua etiam Deus templum sibi per Salomonem condidit. 13. Relicta quoque terra Israel toties promissa à Deo, & per tot ærumnas, prodigia, & victorias obtenta. 14. Ex gremio Ecclesiæ veræ. 15. Ne quidem amicis salutatis. 16. Omnibus omnino inscijs & inconsultis. 17. Propter Herodem Idumæum, impium, ac tyrannum, IESV puero, iamiam imminentem. 18. Cum manifesto periculo tot innocentum paruulorum, per quorum cædem Christum perditum ibat Herodes. 19. Sine omni æquitatis respectu, ac iu-

ac iudicij forma. 20. Propter solam dominandi libidinem.

21. Non ad prouinciam magis vicinam. 22. Nec ad trium Magorum regna, quibus vtique cum familia ista sua futurus erat acceptissimus. 23. Sed *ad Gentem conuulsam Ægypti , & dilaceratam vitijs ac Dæmonum cultu ; ad populum terribilem, post quem,* siue præ quo, *non est alius ; cuius diripuerunt flumina terram eius,* Nilus scilicet, vt Cornelius exprimit Esaiæ cap. 18. v. 2. 24. Gentem adeò idololatricam, vt boues, mures, cæpas, & allia adoret. 25. Non procul Heliopoli in qua vna ciuitate colebantur simulachra 365. 26. Cum periculo extremæ necessitatis. 27. Absque omni exercitio, cæremonijs, Sacerdotibus, & templo. 28. Inter quoscunque aduersos casus, etiam famæ & virtutis. 29. Incerto tempore ; dum nempe Angelus illud Dei iussu determinauerit. 30. Nullo certo loco ad habitandum designato, &c.

At horum nihil terruit IOSEPHVM ; qui proinde eo momento, quo imperium acceperat, *consurgens accepit puerum, & matrem eius nocte, & secessit in Ægyptum* , primus propter Fidem in IESVM exul, ideóque dignus , qui Dux & Caput reliquorum constituatur. Verùm infra expendam ipsum exilium, prout est in se. At nunc solum exilij aditum aliqua ex parte descripsi. Vide ergo Elogia 86. & 97.

ELOGIVM XXXIX.

IOSEPH

Triginta annorum Auditor IESV.

QVis neget, beatiſſimam fuiſſe Reginam Auſtri, ſiue Sabæ Arabiæ, quæ venit ab vltimis finibus terræ, quam mare Indicum alluit, audire ſapientiam Salomonis. At, ecce! quantò Salomone maior eſt IESVS? Si ergo beatitudo audientis menſuram accipit ab excellentia loquentis, infinita quodammodo debet eſſe IOSEPHI, qui IESVM increatam ſapientiam rerum omnium pleniſſimè conſciam audiuit. Et ego quidem non ſolùm calamum ſcribendo, ſed animum quoque cogitando ſuccumbere video ac profiteor. Votum proinde eſt, vt vnuſquiſque hanc ipſam IOSEPHI beatitudinem appendat in iudicij ſui lance, & quia aſſequi nemo poteſt, tacitus apud ſe æſtimet & miretur. Ego hîc ijs ſolùm capita quædam, vnde ad faſtigium eius beatitudinis propiùs contuendum enitantur, proponam.

1. Audiuit IESVM IOSEPH per annos non pauciores triginta; transgreſſus ea in re omnium Auditorum diligentiam, etiam Ariſtotelis, qui per annos 20. Platonem auſcultâſſe ſcribitur.

2. Idem IESVM aſpectabili formâ loquentem conſtanter illo omni tempore audiuit, beneficiô ſupra omnes Sanctorum fauores maximô, nullique

lique alteri, præterquam MARIÆ in hac vitâ, ac Beatis in patria concesso,& concedendo.

3. Etiam nocturno tempore,vnà cum coniuge sua eundem audire solitus est. Vt enim Petrus Chrysologus Serm. 15. testatur; IOSEPH pariter cum MARIA, quasi Monasticam vitam agerent, consurgere de nocte consueuerunt ad preces Christo Domino effundendas, quem medium inter se constituebant, aspicientes in hunc iustitiæ solem, indéque lucem ceu Sydera accipientes.

4. Multò autem frequentius loquentem interdiu satagebat audire,nunc assidens ad pedes Domini, nunc manu vtrâque pectori apprimens, aut etiam oculis labrísque dulcissimè dissuauians, supra Magdalenam, Petrum, ac Ioannem audiendi cupidus.

5. Nominatim Brigittæ lib.6. cap. 58. reuelatum accepimus, IESVM parentibus suis in priuatis ac domesticis colloquijs multa arcana detexisse, multáque mysteria abstrusa ac penitus abdita explicâsse,ea verborum gratia ac dulcedine vtendo, vt sese vterque audiens præ voluptate vix capere possent.

6. Ipse etiam audiuit primam Theologicam Disputationem, quam IESVS duodennis cum Iesu Siæ filio per id tempus Pontifice Summô, in Templo Ierosolymitano, coram Doctorum præcipuorum cœtu, instituit. Vbi forte miraberis nostram de Iesu Siæ assertionem. Verùm eam Castrius cap. 13. ex IOSEPHO lib.17.Antiq.cap.19. erudi-

eruditè probat contra Salianum ad ann. 464. Illum vide; & mihi præ altero placuisse propterea scito, quia Archelaus ad decem annos extendit regnum ac vitam. Atqui IOSEPH tum primum, cùm ex Ægypto rediret, audiuit, quòd Archelaus regnaret. Non potest ergo IESVS disputâsse diu post Archelai mortem. Certè Cornel. quoque in cap. 2. Luc. nobis consentire videtur, dum ait ad v. 41. IESVM disputasse eo anno, quô Archelaus ab Augusto in exilium actus est. At tum adhuc gessit Pontificatum Iesus Siæ filius; quem ego piæ considerationi aptiorem existimo.

7. Ei disputationi finem imposuit IOSEPH; quem idcirco si quis primum Cancellarium, aut Præfectum, Studiorum superiorum dicere velit, ego quoque suffragio nostro iuuare paratus sum. Est enim hoc eius præcipuum munus, moderari Disputationem, & quasi cancellis quibusdam restringere. At hoc IOSEPH cum MARIA Matre IESV reipsa præstiterunt, IESVMque secum abduxerunt, dimissis Doctoribus.

ELOGIVM XL.

IOSEPH

Triginta annorum Præceptor IESV.

EX ijs, quæ proximè dicta sunt, possunt huc non pauca transferri. Verùm ego prosequi viam, quàm relegere malo. Illis ergo præteritis, Præce-

Præceptoris nomen dico ab Apoſtolis maximi habitum, & propterea ab ijs ſolitò frequentius tributum IESV fuiſſe. Nam ad nomen, Rabbi, quod attinet, eſt illud ſpurcô Iudæ Iſcariotis ore contaminatum, & corruptum ambitu Phariſæorum primas in Synagogis cathedras prenſantium. At ſecùs ſe res habet circa nomen Præceptoris ſemper integrum & incorruptum. Quod propterea etiam IOSEPHO glorioſum fore cenſuimus, niſi aliud quid obſtet. At obſtare nihil poteſt. Si enim eſt qui *ſubſit*, eſt & qui præſit, ſiue *præcipiet* illi. At IESVS ſubfuit, ſiue, vt phraſi Evangelica loquar, Luc.2. v.51. *erat ſubditus illis*, hoc eſt MARIÆ & IOSEPHO. Ergo MARIA & IOSEPH præfuêre, ſiue præcepêre IESV. At qui præfuit ac præcepit, Præceptor eſt. Eſt ergo etiam IOSEPH Præceptor IESV. At IESVS eſt Præceptor omnium ſupremus. Nihil igitur deeſt IOSEPHO, quin inſtar reguli ſupra aquilam, quemadmodum in parœmijs eſt, ſurſum euolantis exclamet: *plus vltra*.

Sed hîc diem quiſpiam mihi dicit, tanquam memoriâ lapſo, qui ante hac dixi, IESVM ab omni poteſtate humanâ exemptum eſſe. An igitur comperendinem cauſam, donec temporis progreſſu refrigeſcat feruor accuſatoris? Id quidem hâc noſtrâ ætate in omnibus fere iudicijs ſolenne eſt. Sed non ſinit me exſpectare tum IOSEPHI, tum veritatis amor. Igitur iam nunc pareo; & quia lis tota ex eo dependet, an IESVS potuerit obligari præ-

ceptis

ceptis IOSEPHI, hoc ipſum ante omnia decido ex Theologorum placitis, hoc modo.

1. IESVS triplices actiones habuit; diuinas, vt creare, conſeruare, gubernare omnia; Theandricas, ſiue Dei-viriles, vt docere, facere miracula, diſcipulos conuocare, &c. & humanas, vt comedere, ambulare, laborare, fabricari, &c. Ratio eſt, quia idem IESVS ſimul Deus eſt, & Deus-homo, ac Homo. Ergo neceſſariò triplices actiones habet, primas Deo, alteras Deo-homini, & tertias homini correſpondentes.

2. Quoad primas actiones, ſiue diuinas, nulli, ne quidem Deo Patri obligari poteſt. Ratio eſt, quia ex vna parte coæqualis eſt Patri; ex aliâ actiones iſtæ vel ſunt notionales, vel liberæ, vel eſſentiales. Atqui notionales ſunt ſimpliciter neceſſariæ; liberæ, communes ſunt toti Trinitati; itémque eſſentiales.

3. Circa ſecundi generis actiones obligari poteſt ſoli Patri Cœleſti, à quo miſſus eſt propter nos homines & propter noſtram Salutem; ideóque ad parentes ſuos; *neſciebatis*, inquit, *quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?* Luc. cap. 2. v. 49. Ratio eſt 1. quia etſi mitti etiam Spiritui ſancti conueniat, vt donum eſt, mitti tamen, vt Sanctificationis auctor eſt, ſoli conuenit filio, quatenus refertur ad Patrem. Atqui ſanctificare eſt Theandrica actio. S. Thom. in 1. q. 43. a. 7. 2. Quia Deus-homo habet modum ſignificandi perſonalitatem verbi, prout

prout est vnum principium actionum Theandricarum.

4. At in actionibus merè humanis potest obligari etiam homini; & reipsa IOSEPHO & MARIÆ obligatus fuit. Ratio est, quia dupliciter potest quis obligari 1. simpliciter & indefinitè. 2. secundum quid, & ad certum tempus, siue limitatè. Itémque 1. absolutè & per vim alterius mihi prædominantis. 2. ex hypothesi pacti aut propositi, quô quis se vltro obligat alicui alteri. At IESVS dum se obligauit parentibus, solùm obligauit se his posterioribus modis, eâ fere ratione, quâ se obligauit ad reddendam mercedem æternam meritis. Sicut autem obligatio hæc sufficit ad iustitiam propriè talem constituendam in Deo, ita sufficiet prior ad propriè dictam obedientiam IESV, quia sic ipsemet voluit, tribuendam, similem nostræ, quâ vi voti tenemur obedire Prælatis.

ELOGIVM XLI.

IOSEPH

Libri Generationis IESV Christi pars ordine postrema, dignitate suprema.

TRes præcipuè Libros Deus conscripsit, quos præter ipsum explicare integrè nemo potest.

Primus est Liber vitæ; ad Philip. 4. v. 3. Apoc. 3. v. 5. & alibi sæpius; scriptus in memoria Dei

Dei ſecundum duplicem præſcientiam abſolutam, & conditionatam; abſolutam, quâ abſolutè & determinatè Deus præſcit omnes prædeſtinatos, qui ad gloriam reipſa peruenturi ſunt; & conditionatam, quâ ſolùm omnes iuſtos præſcit ſub conditione, ſi vſque ad mortem vitæ perſeuerent in iuſtitiâ, ad gloriam peruenturos. Vbi priori præſcientia ſcriptus liber eſt ſimpliciter immutabilis; at mutabilis poſterior; ideóque meritò rogamus, *vt omnium fidelium nomina beatæ prædeſtinationis liber adſcripta retineat.* S. Thom. in 1. p. q. 24. a. 2. & 3.

Secundus eſt Liber Conſcientiarum; íſque itidem duplex, agendorum, & actorum. Et ille quidem eſt inprimis vtrúmque Teſtamentum; deinde dictamina vnicuique impreſſa, ac Leges multiplices. Sed actorum Liber eſt ipſa Dei notitia noſtrorum operum, cuiuſmodi ſint; qui tum demum coram toto mundo aperietur diuina vi, quando IESVS venerit iudicare viuos & mortuos, hoc eſt, iuſtos & peccatores.

Tertius Liber, eſt Liber Generationis IESV Chriſti in carne (nam *Generationem eius* diuinam *quis enarrabit*! Iſaiæ 53. v. 3.) In eo libro noſter quoque IOSEPHVS eſt, Vir MARIÆ, quem genuit Iacob, proximus IESV natalitius ramus. Quem proinde Notis aliquibus, in Diſcentium gratiam, par eſt, vt illuſtrare coner. Igitur paucis auſculta multarum cogitationum ſegetem daturum.

1. Vnus idémque Liber Generationis eſt IESV,

IESV, MARIÆ & IOSEPH. Si ergo nil præstantius est Libro Generationis IESV, nil etiam Libro Generationis IOSEPH præstantius esse potest. 2. Tum demum Librum hunc perdiscet aliquis, cùm ad finem peruenerit. At finis eius IOSEPH est, finis inquam virorum, per quos IESVS descendit. Disce igitur IOSEPHVM prius, vt perdiscas librum. 3. In hoc libro ipse IESVS permittit sibi præponi IOSEPHVM. Quô ergo iure tam multi, adhuc nostrâ ætate, à publico cultu reijciunt IOSEPH? 4. Ita IESVS, MARIA, & IOSEPH hîc arctè coniunguntur, vt nullo vnquam tempore separandi sint. Proximè igitur ad Diuinitatem accedunt. 5. Etsi horum trium nominum initiales tantum litteras quis scribat, I. M. I. definitionem tamen IESV, Græcè legentibus, certissimam exhibet, *εἰμὶ*, Sum. 6. In generatione hominis principalia membra, Caput, cor, & hepar sunt. Similiter in generatione hâc, caput est IESVS, *scriptus in capite libri*, ad Hebr. 10. v. 7. MARIA verò est cor eius, vigilans, dum dormit IESVS. Quid ergo aliud esse potest IOSEPH, nisi hepar nutriens nos sanguine IESV? 7. Hic Liber vnicô verbô absoluitur, quod IESVS est, olim à patre, nunc à matre procedens. At Libro isti præest IOSEPH. *Bibliothecarius* ergo supremi Regis meritò videtur dicendus. 8. Quotquot in Libro generationis ponuntur, aut sunt genitores, aut geniti. At IOSEPH non est genitus à IESV. Ergo debet esse genitor eius. Nempe locum hîc habet

axioma: quod quis per alium fecit, per ſe feciſſe cenſetur. At genuit IOSEPH per MARIAM. Poteſt ergo cenſeri genuiſſe per ſe. 9. IOSEPHO immediatè IESVS ſuccedit, & velut Syriæ Rex innititur Naamano, hoc eſt, *pulchro*. Nam verè pulcher eſt noſter IOSEPH Specioſi IESV præ filijs hominum Pater, ac Vir MARIÆ itidem pulcherrimæ. 10. Tria ſunt omnia, dixêre Antiqui. At iam dicere poſſumus: tria nomina, IESVS, MARIA, IOSEPH, ſunt omnia nomina. Si ergo ſimul eloqui vis omnia nomina, dic, IESVS, MARIA, IOSEPH. Nec obſtat ea poſtrema eſſe in Librô, de quo agimus. Sæpe enim primum eſt, quod eſt poſtremum. Atque ita etiam IOSEPH, poſtremus ordine, eſt ſupremus dignitate, vtpote proximus digniſſimo.

ELOGIVM XLII.

IOSEPH

Legatus Apoſtolicus IESV, primus omnium.

SI IOSEPH Legatus eſt Apoſtolicus IESV, tunc etiam primus omnium eſt. Eſt enim in confinio vtriuſque Teſtamenti, vt neſcias, magiſne ſit vnius, quâm alterius. At eſſe Apoſtolicum Legatum IESV certum eſſe videtur. Nam 1. IESV haud dubiè eſt, qui tot ad IESVM nominibus refertur. Eſt autem 2. etiam Apoſtolicus, non quidem

dem prout ſignificat Papam, ſiue Pontificem ſummum; ſed, quia fungitur Apoſtolico munere. Eſt 3. Legatus Apoſtolicus, & quidem triplex; *miſſus, natus,* & *à Latere*, qui Cardinalis eſt, vel ſaltem *cum poteſtate Legati à Latere.*

Nam 1. *Legatus miſſus,* eſt idem, quod Datiuus vel Temporarius, quia nonniſi ad certum tempus conſtituitur. At talem renuntiauit IOSEPHVM Angelus, Matth. 2. v. 13. *Fuge in Ægyptum,* inquit, *& eſto ibi, vſque dum dicam tibi.* Vbi præſcribitur 1. munus. 2. abeundi modus. 3. tempus indeterminatum. 4. Locus. Et hæc omnia quadrant Legato tali. Nam 1. munus maximè ſpirituale eſt redundans in bonum Pontificis primi, nempe IESV, & MARIÆ matris eius. *Accipe puerum, & matrem eius.* 2. Fugere iubetur, abeundi genere nonniſi periculoſis Legationibus accõmodatô; cuiuſmodi Legatio etiam hæc fuit. 3. Tempus Legationis ſeptennio circumſcriptum eſſe tradunt Anſelm. in cap. 2. Matth. Petrus Comeſtor in hiſt. Evang. cap. 23. Ammon. Alexand. in harm. Evang. quibus & nos accedimus cum Caſtriô cap. 12. Nec obſtat, hos temporis limites IOSEPHVM initio ignorâſſe. Hoc enim vſitatiſſimum eſt; vt iubeantur Legati manere, donec expreſsè reuocentur. 4. Locum Legationis Ægyptum accepit, primum ac præcipuum Apoſtolicorum Legatorum theatrum, qualem poſtea Locum Franciſcus Xaverius in India, & Andreas Ouiedus in Abaſſia, alijque alibi inter Barbaros pro IESV & MARIÆ gloriâ acceperunt.

Sed neque Legato IOSEPHO defuit reuerentia, digna maximo, quod gerebat, munere. Nam 1. Perſeis, arbor antiquiſſimæ ſuperſtitionis, Hermopolim ingredienti; ſe ſponte demiſit in terram, velut inclinans ſe, ac poteſtatem hoſpitum agnoſcens. 2. Etiam Simulachra & Statuæ à Dæmonibus occupatæ quæ paſſim toto itinere occurrebant, humi ijſdem fugientibus conciderunt, in ſignum victoriæ. De quibus teſtimonium dixêre Sozomenus lib. 5. Hiſt. Eccleſ. cap. 20. Caſſiod. lib. 6. Trip. Hiſt. cap. 42. Druthmarus in 2. Matth. Euagrius in vitis PP. de Apollonio, & alij, conuenienter Iſai. 19. v. 1. *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem leuem*, hoc eſt, MARIAM & IOSEPH leues inſtar nubium, propter fomitis carentiam; *& ingredietur Ægyptum, & commouebuntur Simulachra Ægypti à facie eius*, concidendo in terram,

2. IOSEPH eſt *Legatus natus*, poteſtate officio annexa ex gratuita diſpoſitione mittentis Pontificis Summi, vel potius eius, cuius ipſe vices agit. Cuius Ratio eſt, quia ad hoc non requiritur, vt ſimulac quis naſcitur, hanc poteſtatem accipiat; tunc enim exercere illam nemo poteſt, ſaltem ſine miraculo. Requirirur tamen officium exigens illam. At IOSEPH tale officium certò habet. Eſt ſemper Pater ſummi Regis & Sacerdotis; eſtque Vir MARIÆ eiuſdem Matris; eſt etiam Virgo, & propter eximias virtutes non ſolùm capax, ſed dignus Legationis; eſt denique ſupremus Præſes in aula cœleſti vtriuſque Signaturæ, gratiæ & iuſtitiæ. Et gra-

tia

tiæ quidem, vt dicetur, ordinariè ſubſcribit, requiſitus à Clientibus; Iuſtitiæ verò, cum exigit neceſſitas.

3. Idem IOSEPH eſt *Legatus à Latere*, quem Cardinalem ipſa ſua dignitas facit, cùm ſit cardo Ianuæ Cœli, MARIÆ inquam, per quam Dei Filius ſe penetrauit in Mundum. A Latere quoque, Conſanguinitatis Chriſti arborem, proximè contingit. Nec deeſt virtus idonea cuilibet honori. Quam ſi in tenebris deliteſcere ſinit Mundus, non ſinit tamen Deus. Ideo IOSEPHVM nunc quoque pro IESV ſuo Legatione fungi credere poſſumus, ad quam ipſum illa ſua Virtus euexit.

ELOGIVM XLIII.

IOSEPH

Intimus Amicus Angelorum.

QVod hîc dixi, apertè res ipſa vel tacentibus nobis loqueretur. Cùm enim de IOSEPHO à ſcriptura ſacra apprimè parùm tradatur, inter ea tamen ſunt apparitiones quaternæ, in quibus ipſum Angeli (plures an vnus fuerint, poſtea dicetur.) de rebus grauiſſimis, ipſique & familiæ ſuæ vtiliſſimis, informârunt: De magna igitur amicitia Angelorum erga IOSEPH, quòd ſit, ſicut dubitandi locus non eſt, ita nec eſt dicendi. Cui vacat, Gerſon, diſt. 5. litt. E. Eckium mihi fol. 134. & Sal-

& Salmeron. tr. 45. adeat, qui me ſimul prærogatiuæ præſentis admonuere.

Sunt tamen alia quædam magis recondita quæ in lucem proferri, quiuis optare poſsit. Sed ſunt hoc tempore ingenia tam ſeuera, quibus ſæpe teſtes oculati non faciunt ſatis. At his in rebus, de quibus hîc agitur, ne quidem teſtes de auditu haberi producive poſſunt. An igitur te ſine reſponſo dimittam? Equidem faciam, quod poſſum, & auctores profero, quales haberi poſſunt in rebus longiſsimè remotis à nobis.

Igitur 1. Pluréſne, an vnus tantùm Angelus, IOSEPHO apparuerunt? Affirmo, vnum fuiſſe. Ratio eſt, quia vniformiter vocatur Angelus Domini; dicitúrque eodem apparenti genere vſus, itémque loquendi. Cauſæ quoque quæ ad vnum finem tendunt, melius cohœrent, ſi tractentur ab vno. Caſtrius cap. 6. num. 11.

2. Quis ille Angelus toties apparens fuerit? Supra aliquid de eius nomine dixi. Nunc denuo repeto, fuiſſe Gabrielem. Ita Euſebius Emiſſ. in cap. 1. Matth. & Druthmarus ibid. cum Haym. apud Caſtr. cap. 6.

3. Ex quâ Hierarchiâ, Choróve Gabriel ſit? Id quoque iam dixi; nempe eſſe ex tertia Hierarchia, Choro Seraphinorum, vnum de ſeptem principibus, qui adſtant coram Deo, vniuerſalem Miniſtrum Oeconomiæ Incarnationis IESV CHRISTI. Ita Scot. in 2. diſt. 10. q. vnica. Durand. q. 1. Molin. in 1. p. q. 112. Valent, Diſp. 8. q. 6. punct. 2. Salmer.

Salmer. tom. 3. c. 3. & alij multi. Quorum Ratio est dignitas causæ ipsi demandatæ; est autem Gabriel 1. idem, quod *fortitudo Dei*; tum quia prælijs præest; tum quia IESVM in agonia confortauit. Corn. in Luc. c. 22. 2. *Vir Deus*; quia Incarnationem, in qua Vir Deus factus est annuntiauit MARIÆ. 3. *Fortis meus*; quia IOSEPH timore, & periculis familiam suam liberauit; itemque beneficium hoc alijs præstat.

4. Quamdiu manserit cum IOSEPH? Mansisse Dico nouem horis, flexis genibus insistentem cum MARIA Virgine, non quidem Legatione tantum tempus exigente, sed obstupefactum Maiestate, ac Virtute Matris Dei. Ita Corn. in cap. 1. Luc. refert ex monumentis Congregationis S. Georgij in Alga. Inde quiuis æstimare poterit, etiam cum IOSEPHO, si quidem tunc in domo fuerit, aliquamdiu mansisse.

5. Cur semper in Somnis apparuerit? Causam do, 1. quia non decebat IOSEPHVM à fabrili opere auocari, sub cuius vilitate latendum id temporis erat Filio Dei. 2. quia de rebus admodum secretis informandus erat IOSEPH. 3. quia mens hominis tempore somni à curis terrenis prorsus avocatur, ideóque diuinis motibus opportunior est.

6. An dormienti apparuerit? Negant aliqui apud Abulens. q. 56. in cap. 1. Matth. detorquentes verba scripturæ ad sensum diuisum, quod scilicet apparuerit ei, qui dormiebat. Sed non placent;

quia *exurgens* IOSEPH *à Somno*, Matth. 1. v. 24. *fecit, sicut præcepit ei.*

7. An imaginariè, vel potius intellectualiter apparuerit? Etiam oculis potuit apparuisse, eò modô, quo Petrus credidit se in somno & imaginariè tantùm liberari ab Angelo. Sed verius est, imaginariè apparuisse; quia verba scripturæ loquuntur de somno propriè tali. Si tamen audire me, grave non est, credo IOSEPH gratiam habuisse alijs minoribus Sanctis sæpe concessam, simul dormiendi corpore, & animo, per rationis vsum, vigilandi. Hoc autem admisso, facillimè, IOSEPH veritatem apparitionis cognouisse potuit.

Cæterum somnia diuina, sicuti vina salutaria discernuntur, efficaciâ, dulcedine, claritate; vt adeò etiam hinc illum iuuari potuisse, absolutè non sit negandum. Sed tamen si quis alius ob hanc congruentiam moueri nolit, næ ille per me quidlibet aliud dicere poterit, dummodo ego respondere non debeam.

ELOGIVM XLIV.

IOSEPH

Balsami inter Gentes propagator.

MAgisne vllum decuit, Balsamum propagare inter Gentes, quàm IOSEPHVM, qui Christum, sic dictum ab vnctione (tum quà ipse vnctus à Deo Patre est Rex, Propheta, & Summus

mus Pontifex; tum qua vbilibet Gentium credentes in se mediantibus Sacramentis vngit) à teneris vnguiculis ad virilem vsque ætatem nutriuit. Est enim Balsamum saltem necessaria Sacramenti Confirmationis materia. Non ergo in vnica Iudæa, paucisque iugeribus montium Engaddi, includi, per id etiam tempus, debebat, quo tempore idem Christus, duce IOSEPHO, secessit in Ægyptum.

Sed me decentiæ soli hîc inniti, necesse non est. Vt enim ex Brocard. & Saligniaco, Adrichom. in Descript. terræ sanctæ, pag. 47. num. 127. testatur, IESVS ipsemet secum in illud regnum intulit Balsamum. At à quo illud accepisse infans potuit terræque infixisse, nisi opera IOSEPHI? Nam mater vni huic Infanti vacabat; Vicinos etiam latebat fuga. Et si, quod fieri posse negare non possum, accepisset ab alio, puta Zacharia Ioannis Baptistæ Patre, non tamen tam magno temporis internallo, quo proficiscendum fuit, conseruare potuit sine industria IOSEPHI; multóque minùs alieno solo, aridóque inferri, plantari, ac propagari.

Sunt præterea coniecturæ aliquæ minimè leues, quæ in re per se obscura multum ponderis habere posse videntur.

Ac 1. Quia exilij locus, in quo commoratus est cum suis IOSEPH, est medius inter Babylonem & Heliopolim. At ibi tunc erat hortus Balsami. Ergo vel in horto, vel prope illum idem commoratus est. At hoc fieri non potuit, si tum hortus Balsami, aut initium eius non fuit. Fuit ergo saltem

initium eius. Hîc autem maior prima eſt Brocardi cit. Bonifacij & Caſtrij. 2. Quia prope hortum Balſami fons eſt eundem irrigans, in quô MARIA IESVM paruulum ſæpe lauit, eiûsque panniculos deterſit. Ita Ianſen. in Concord. cap. 11. Eſt etiam ibidem lapis, in quo, quæ lauit, exſiccare ſolita fuit. Itémque ficus ibi eſt, quæ ad noſtra tempora perdurat, ijſdem vſibus à Virgine adhibita. Quæ poſtquam ſemel contigêre Auctorem Salutis, Salutem poſteris, hortóque ipſi, non ceſſant propinare. Idque etiam Saraceni affirmant, qui, dum, propè, fontem alium effodiſſent, aliter ſalutarem efficere non potuêre, quàm prioris admixtione fontis intra illum admiſſi. 3. Nihil IESV accomodatius Balſamo eſt. Parens ergo eius nihil ſæpius, quàm Balſamum offerre ipſi debuit.

Antecedens probatur. 1. Quia IESVS optimô modô vnctus eſt. *Oleum enim effuſum nomen tuum*, Cantic. 1. v. 2. At non eſt melius oleô Balſaminô, ſiue chryſmate. 2. Et IESV & MARIÆ accommodantur illa, Eccleſ. 24. v. 20. *Sicut cinnamomum & Balſamum aromatizans odorem dedi*. Et v. 21. *quaſi Balſamum non miſtum* (ſæpe enim miſcetur atque adulteratur) *odor meus*. 3. Balſamum eſt, Commentatore Diaſcorid. ad c. 28. teſte, omnium Saluberrimum ad conſeruationem totius generis humani. At IESVS eſt Saluator Mundi. 4. Balſamum exſudat inciſione corticis, non tamen ferrô, ſed acutis lapidibus, & oſſeis cultellis. Viciſſim Balſamum gratiæ nonniſi ærumnis, heroicáque patientiâ

tientia ex Vulneribus Christi exsudat; ferrô autem, hoc est impatientiâ prorsus exarescit. 5. Balsamum à solis Romanis in triumphum ductum est, clamante Pompeio M. In triumpho arbores quoque duximus. Neque ab alijs quàm Românis copiosius est acceptum Balsamum, Balsamum & doctrinæ & gratiæ Christi. 6. Balsamum Venenis omnibus ac præcipuè Viperarum resistit. At idem fecit respectu Diaboli Balsamum Christi, odore bonæ ædificationis, venenatas omnes peccandi occasiones præscindens.

ELOGIVM XLV.

IOSEPH

Faber omnium præstantissimus.

PRimo ponam opiniónes aliorum; tum deinde quid mihi videatur, subiungam.

Sic autem 1. IOSEPH *fabrum ferrarium* fuisse putârunt Hilarius can. 14. in Matth. Petrus Chrysolog. Serm. 48. Leander Hispal. libel. de instit. Virg. ad Florentinam Sororem. Isidor. in Reg. Monach. cap. 5. Beda lib. 2. in Marc. cap. 23. Anselm. in Matth. 13. 2. *Fabrum cæmentarium* fuisse, ait, Augustin. Serm. de Natiuit. Dom. & Serm. 1. Dom. infra octauam Epiphaniæ. 3. *Fabrum aurificem*, vel *murarium* fuisse testatur Hugo apud Cornel. à Lap. in 13. Matth. 4. Ambrosius super c. 13. Matth. ait simul fuisse *ferrarium & lignarium*.

Verùm

Verùm non probantur nobis opiniones hæ. Nam 1. vultus manúsque ferrarij fabri haud satis decent etiam externam IESV & MARIÆ pulchritudinem; nec deuotionem intuentium excitant; nec exprimunt ipsius IOSEPHI internam animæ elegentiam. 2. Cæmentarij fabri plerumque domo absunt, peregrè laborantes. 3. Aurifices, etsi quidem reipsa fabri sint, fabrorum tamen nomine non veniunt, præipuè cum exprobratur alicui, quòd faber sit. Adhæc aurum maximè tractant aurifabri, vnde & nomen habent. At aurum quis nisi post abitum Magorum inueniat in domo IOSEPH? 4. Idem aurificis & murarij fabri officio fungi non potest. Sed neque vllibi vspiam coniungitur officium ferrarij & lignarij Fabri.

Igitur, his dimissis opinionibus, Sententia nostra est, IOSEPH fuisse *fabrum lignarium*. Ita sentiunt Iustin. in Dial. cum Tryphon. post med. Ambros. Serm. 16. in Natal. Dom. Chrysostom. Serm. 30. in c. 1. Epist. ad Rom. Auctor imperf. in Matth. hom. 1. & hom. 32. in 19. Matth. Sozom. lib. 6. Hist. Ecclesf. cap. 2. Theodoret. lib. 3. hist. Ecclesf. cap. 23. Nicephor. lib. 10. hist. cap. 33. S. Thom. in cap. 13. Matth. & Recentiores communiter.

Rationes meæ sunt. 1. quia hic est sensus Ecclesiæ & traditio antiquissima; quantum colligi potest ex Statuis & Imaginibus, vbi sculpitur & pingitur IOSEPH cum serra & ascia. Sed neque sine graui fidelium scandalo, repræsentari habitu & forma ferrarij fabri posse videtur. An autem IESVS

Patrem

Patrē elegerit, qui eo habitu & forma, quâ fuit, ſine ſcandalo aſpici non poſſit? 2. Id opificium non tractauit IOSEPH, in quo veriſimile eſt, ipſum non eſſe adiutum à IESV. At in nullo opificio antea reprobato, veriſimile eſt adiutum eſſe IOSEPHVM à IESV. 3. Opificium, quod exercuit IOSEPH, conuenire debet muneri, quod geſſit circa IESVM & MARIAM. At nullum magis conuenit, quam fabri lignarij. Nam 1. nonniſi paucis inſtrumentis opus habet. 2. vbilibet exerceri poteſt. 3. Ipſimet tali patrifamilias prodeſt. 4. ordinariè immune eſt à grauibus peccatis, & peccatorum occaſionibus. 5. Et in ſtabulo Bethlemitico & in Ægypto, vbi exulauit cum ſuis, nihil magis neceſſarium aut vtile eſſe poteſt.

Sed iam inter lignarios fabros lis inualeſcit, quibuſnam adſcribendus ſit IOSEPH; magiſne inquam, *arcularius*, quàm *lignarius* fuerit. Cuius litis equidem, nec arbitrum, nec iudicem, adhuc reperi. Duo autem mihi probabiliora ſunt. 1. Fabrum fuiſſe ex eorum genere, qui quiduis operantur in ligno. Tales enim in Iudæa fabri ſunt teſte Gratiano lib. 2. cap. 5. 2. Ordinariè arculariam factitâſſe, partim, quia arcularij ſe fere intra domeſticos parietes tenent; partim verò, quia minùs laboribus premuntur. Eorum quoque opera aptiora ſunt IOSEPHINÆ familiæ; plúſque ingenij atque artis habent. Demum lignarij fere craſſioribus moribus præditi ſunt, quàm arcularij. Interim verò IOSEPHVS vt dixi, dici debet abſolutè Faber

ber lignarius, & non limitate tignarius, vel arcularius. Ratio est, quia talis vtique Faber fuit, quales solent esse in Iudæa. Atqui ibi Faber quiduis operari nouit in ligno. Ergo.

Sed anne propterea IOSEPH est Faber omnium præstantissimus? Nego propterea esse; nec ea, quæ dixi propterea attuli. Aliud enim non volui, quàm ostendere, qualis Faber fuerit. Et nunc iterum dico, IOSEPHVM esse Fabrum præstantissimum 1. quia virtute. 2. quia dignitate. 3. quia Magisterio fuit præstantior alijs omnibus Fabris. Fuit ergo & materialiter, & formaliter præstantissimus omnium. Verùm id quod de Magisterio dictum est, probabitur Elogio sequente.

ELOGIVM XLVI.

IOSEPH

Magister Filij Dei in arte fabrili.

NOn est, inquit Filius Dei, *Discipulus supra Magistrum.* At, subsumo, est Filius Dei, discipulus IOSEPHI, & IOSEPHVS est Magister eius. Non est ergo Filius Dei supra IOSEPHVM. At hoc quis sine blasphemia audiat, nisi verba illa Filij Dei aspergat sapientiæ sale. Sal autem istud, aliud non est, quàm Discipulum non esse supra Magistrum, præcipiendo. Sicut enim Magistri est præcipere, ita Discipuli est subesse, & obedire præcipienti. Atqui, qui præcipit, supra est; infra, qui subest.

est. Si ergo IOSEPH est Magister Filij Dei, Filius Dei est eius Discipulus, & infra IOSEPHVM.

Hîc autem subsistes forsan, qui hæc legis; & nonne, inquies, Filius Dei est Filius Dei? At est haud dubiè Filius Dei maior IOSEPHO, etiam præcipiente. Est ergo Filius Dei supra Magistrum.

Verùm non est, cur à concepta discedam sententia. Nam si præcipere plus est, quàm subesse, cur recusem, Filium Dei, dicere, esse quid minus præcipiente IOSEPHO, in eo nimirum ordine, in quo præcipit iste, subest ille? Nihil ego quidem causæ video, nisi simul me adigas dicere, fundamentum alicuius domûs esse supra tectum; in quo nostrimet nos oculi damnant. Igitur ad id potius, quod hic tribui IOSEPHO, vendicandum accedam.

Tradunt IOSEPHVM, Magistrum IESV in fabrili arte, fuisse plerique, adeò vt faciliùs longè sit, recensere, qui negant, quàm, qui affirmant. His ergo omnibus omissis præter aliquot Sanctos Patres infra citandos, negant apud Cornel. à Lap. in Luc. 2. v. 51. Paulus Burgensis in Matth. cap. 6. Barrad. hîc, & Simon de Cassia lib. 4. cap. 2. ducti excellentia status contemplatiui, nulli magis, quàm Filio Dei conuenientis. Qui etiam, si iubeantur explicare verba, Marc. 6. v. 3. à Nazarenis prolata: *nonne hic est Faber?* confestim obtendunt mihi S. Augustin. lib. 2. de Consil. Evang. cap. 42. *Eô Fabrum credebant, quô Dei Filiũ,* qui est Faber totius vniuersi.

Sed his, quod arborum ætatem ferentium propri-

proprium est, inclino me solùm, cæterà radicibus pro Veritate fixis firmisque. Pro quâ veritate, vt omittam alios ætate posteriores, stant etiam Iustin. in Dial. cum Tryphone. Basil. in Const. Monast. c. 5. Sozomen. lib. 4. cap. 3. Hieronym. epist. 47.

Rationes præterea sunt; 1. Quia Luc. 2. v. 51. compendium traditur totius vitæ IESV vsque ad 30. vitæ annum perductæ. *Et erat subditus illis.* Vbi verba, Bernard. Serm. 1. super Missus est, cogita, nostra esse. *Quis?* (intellige, subditus erat) *quibus? Deus hominibus, nec tantùm* MARIÆ, *sed &* IOSEPH? *vtrimque stupor; vtrimque miraculum, &c.* At, quæso te, in quibus subditus erat? In ijs vtique, quæ parentes aliàs factitabant. At, vt textoriæ MARIA, ita fabrili vacabat IOSEPH. 2. Perlubenter IESVS loquebatur de fabrilibus operibus; vt de iugo, Matth. 11. v. 29. *Tollite iugum meum super vos,* v. 30. *Iugum enim meum suave est.* Luc. 9. v. 62. *Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei.* Placuítque hæc Ratio interpretibus Scripturæ, prout Cornel. noster ostendit in allata verba; *Subditus erat.* 3. Quod Deus egit ab æterno, credibile est, suo modo, imitatum esse filium Dei. At fuit Deus ab æterno Faber concipiendo ideas fabricandorum operum. Ergo & IESVS filius Dei ipse quoque Faber fuit. 4. Verisimile non est, eum, quem odisti, Fabrum à te dici, quem dicere poteras, otiosum & frugiperdam. At Iudæi, qui grauissimè odêre IESVM, maluerunt illum Fabrum Marc. 6. v. 3. & Fabri filium Matth.

13. v. 55. dicere. 5. Ruinosum est aduersariorum principium. Christus enim à Contemplatione ne quidem inter seruilia opera, aut dormiendum cessauit.

Iterum verò iterúmque expendi volo verba: ET ERAT SVBDITVS ILLIS. Mihi certè dubitandi locum non relinquunt, IESVM subditum fuisse Fabro IOSEPHO, & textrici MARIÆ, etiam quâ tales erant.

ELOGIVM XLVII.

IOSEPH

Musicus cœlestis in terra.

NEmo facilè Principum est, qui Musicos sibi non comparet Maiestati suæ pares, à quibus inter imperij curas subleuentur. Cœlum quoque eo, quo conditum est die (primum mundi nos censemus fuisse) Musica se digna illico insonuit, canentibus Angelis, quos vna Deus produxit, suauissimum Trigasion, Sanctus, Sanctus, Sanctus; & Alleluia lætissimum, quæque alia suprema Imperatori grata erant.

Sed neque eadem Angelica Musica, dum in stabulo Bethlemitico Dei Filius inuiolata ex Virgine coram IOSEPHO nasceretur, defuit; deserto enim, ac ferè fastidito cœlo suo empyreo in illo ipso stabulo, ceu cœlo longè amæniore præcinuit destinatum Pastoribus melos, Gloria in altissimis

Deo. Alijs quoque compluribus occasionibus, ac præcipuè, dum nocturno tempore IOSEPH & MARIA contemplarentur IESVM admirabili lumine circumdatum, huius laudes Angeli decantabant, teste Birgitta lib.6. cap.58. & lib.9. cap.5.

Verùm putásne in hac publica cœli lætitia prorsus tacuisse terram? Minimè Gentium; Habet enim IESV nascente terra, quod præ cœlo eiusdem tenellis auribus offerat, Patrem, inquam, IOSEPHVM, ac MARIAM Matrem, Virgineos Musicos ac supra Angelos felices, quos ei sæpius, ac præcipuè, exilij tempore, accinuisse, Gerson Parisiensis Cancellarius testatur. Eius tibi verba ex tr. 4. super Magnificat litt. M. coram profero. Discipulus. *Putásne credendum, quòd vocale canticum addiderit nonnunquam Beata Virgo.* Magister. *Sanè puto; maximè in peregrinatione laboriosissima, comitibus* IESV *puero, & Virginali Sponso* IOSEPH: *vt adimpleret ad litteram illud,* Psal. 118. v. 54. *Cantabiles mihi erant iustificationes tuæ in loco peregrinationis meæ. Cur præterea non cecinerit corporalem recreando laborem; nunc psalmos patris sui Dauid, nunc canticum proprium, nunc illud Zachariæ, nunc Simeonis; alludens Sponso blandienti & dicenti: Vox tua sonet in auribus meis; vox enim tua dulcis. Nunquid existimas Beatam nostram in iucundissimo partu, & post partum, dum natus erat Saluator Mundi, concinentibus Angelis, Gloria in excelsis Deo, siluisse? Nunquid non infanti in præsepio posito & flenti, debuit aliquod Amoris purissimi carmen, & consolatorium fescenninum dulci susurro velut auræ tenuis, resonare?*

ſonare? Quid verò de celebri ritu propriarum nuptiarum, coniecturas, quæ nuptijs alienis interfuit hilariter honorandis? & vino de aqua facto gratuita pietate ſolandis? Quid in templo nutrita & de canticis Sion edocta, debuit, quæſo, ſilere? Diſcipul. *Grata commemoras, quæ non abhorrent à pia credulitate, etiamſi addideris, iuſtum* IOSEPH *cum puero* IESV *nonnunquam vnà ceciniſſe. Sed hæc hactenus; quæ Seculi prudentibus in oculis ſuis nugæ videbuntur aniles, & indignæ; quaſi non multo amplioris humiliationis, vel Crucis myſterium; vel lotio pedum ſit, &c.* Quæ quia IOSEPHVM quoque Muſicum faciunt, meritò videbantur, integrè recitanda.

Sed his inſuper de mea inopia aliqua addam pro eodem noſtro IOSEPHO. 1. Quod vſitatum eſt alijs omnibus, ac nominatim Iudæis, non eſt credibile, prætermiſſum à IOSEPHO. At omnibus parentibus vſitatum eſt, canere coram paruulis liberis; ac nominatim Iudæis, canere ante, & poſt menſam, Corn. ad Eph. cap. 5. & in Matth. cap. 26. v. 30. 2. Muſica medium eſt aptiſſimum ad inflammandum diuino amore pectus. Quô vtique non abſtinuit IOSEPH optimus filius Dauid, eiúſque imitator. 3. Ipſemet Chriſtus, Paſſionis ſuæ initiô, hymnum bene longum, ſeptem pſalmis, qui inter 111. & 119. ſunt, conſtantem, cecinit, vnde Conc. Tolet. IV. ait, nos habere exemplum hymnos cantandi. At nemo viciniùs imitatus eſt Chriſtum, quàm IOSEPH. Sicut ergo Chriſtus Muſicus cœleſtis eſt, ita eſt & IOSEPH. 4. Nemo

plura prædestinationis signa habuit. At inter hæc etiam Musica deuota est, vtpote pars aliqua lætitiæ cœlestis.

ELOGIVM XLVIII.

IOSEPH

Theologus profundissimus.

THeologia nobis hîc est Scientia sacra, ac reuelata, saltem mediatè, de Deo, rebúsque diuinis comparata; quâ vt Augustin. lib. 14. de Trinit. cap. 1. ait, Fides gignitur, nutritur, defenditur, roboratur. Cuius studiosum fuisse IOSEPHVM, iam supra ostendi. Elog. 39. dum probarem, tricennarium fuisse Auditorem IESV. Non enim, quemadmodum nostrorum mos fert temporum, studiosi munus à munere Auditoris, licentia viuendi auulsit. Nihil igitur mirum esse debet, si vocem ipsum Theologum profundissimum.

Sed præterea alia quædam sunt, quæ rem nobis prope demonstrare videantur. Nam 1. Ipsum Theologiæ obiectum tum attributionis, tum formale Quod, simul fuit Professor eiusdem; Deus inquam, optimus maximus. Neque hæc felicitas vlli alij contigit, præterquam MARIÆ Matri Dei; siquidem æstimemus diuturnum tempus studiorum. 2. Hic ipse Diuinus Professor nulli vnquam Discipulo adeò obligatus fuit, quemadmodum huic, quem sustinuit putari Patrem carnalem, reipsa verò

verò agnouit coluítque vt Patrem, ijs omnibus modis, quibus ſine generatione Pater quis eſſe poteſt. 3. Viciſſim inter omnes homines, ſola excepta Virgine MARIA, optimè de eodem Profeſſore meritus eſt IOSEPH. At fieri nequit, vt vel obligationis ſuæ, vel meritorum cuiuſquam, obliuiſcatur talis tantúsque Profeſſor. 4. Nihil ad docendum aptius eſt, quàm ſi Magiſter Diſcentium oculis ſubijciat claras aliquas rerum percipiendarum ideas. At hoc Deus IOSEPHO cumulatiſſimè præſtitit. 5. Ideas iſtas inprimis MARIA IOSEPHI coniunx & condiſcipula optimè intellexit: Vt enim Luc. 2. v. 19. teſtatur, *conſeruabat omnia verba, conferens in corde ſuo*. At cor ipſius, IOSEPHVS fuit. In IOSEPHO ergo contulit, velut repetens, ruminans, & expendens cum ipſo, collatitia opera, quæ prius audiuerat, & viderat. 6. Hęc eadem Virgo, non paucos clientes ſuos, vnis precibus ad Deum filium ſuum fuſis, repentè Theologiam ſimul omnem perdocuit. At primus omnium Clientum eius IOSEPHVS fuit. An ergo primas eiuſdem preces reijcere Filius ille potuit? 7. Inductione partium optimè probatur totum. At oſtendi inductione poteſt, IOSEPHVM Theologiæ partes ſingulas complexum eſſe.

Nam 1. vt Gratian. lib. 5. ex conſenſu quorundam Sanctorum docet, probabile eſt, adhuc in hac vita clarè & intuitivè aliquando vidiſſe eſſentiam Dei, prout de Apoſtolo Paulo concedit S. Thom. in 2. 2. q. 175. 2. Immediato miniſterio,

consortio, & alloquio Angelorum sæpenumero fruitus est. Quis ergo de Angelis rectius loqui posset? 3. Grauitatem peccati itidem ab Angelis audiuit; nempe tantam esse, à qua saluari homo non possit, nisi vnius Dei filij interuentu: *ipse enim saluum faciet populum à peccatis eorum*, Matth. 1. v. 21. 4. Gratiam quoque ex IESV auctore gratiæ, ex MARIA puteo aquarum viuentium eiusdem gratiæ, & ex suâmet anima, in cuius labium se illa proximè effudit, abunde comprehendit. 5. Fidei mysteria pleraque ac præcipua coram aspexit in tanta motiuorum credibilitatis luce proposita, vt nemo vnquam vlterius progressus sit. 6. Idem attigit supremum spei & charitatis apicem; vtpote Pater Filij Dei, promissionibus, beneficijs & illustrationibus maximis illuc euectus. 7. Studuit deinde Iustitiæ in omni vita, ideòque nomen Viri iusti ab Euangelista accepit. 8. Adhæc Fortitudinem in exilio, & temperantiam, etiam moribus expressit. 9. Prudentiæ tantopere se dedit, vt nihil aggredi vellet, nisi prius secum ipse & cum Angelis deliberâsset. Tandem verò & Incarnationis, & Sacramentorum, quæ id temporis erant, difficultates præcipuas ipsemet exhausit. Quod tamen ego hic explicare supersedeo, fretus Sapientia Legentium, qui vtique mecum fatebuntur, IOSEPHVM esse profundissimum Theologum.

ELOGIVM XLIX.

IOSEPH

Religionem perfectissimam professus.

SI verùm sit, Religionem 1. Martyrio comparari. 2. ad paradisum cœlúmque proximè accedere. 3. promereri plenariam peccatorum remissionem. 4. centuplum esse à Christo promissum, Matth. 19. v. 29. 5. Esse certissimum pignus vitæ æternæ. Et 6. Spirituale matrimonium esse animæ cum Christo, omnibus matrimonijs dignius, amabilius, iucundius ac fructuosius, negare profectò nemo potest, IOSEPHVM quoque Religionem suscepisse ac palàm professum esse. At verùm est prius; vti cum Theologis demonstrant Ascetæ. Ergo & posterius verum est. At implicat prædicari genus de aliquo, nisi in certâ quadam specie. Si ergo IOSEPH Religionem in genere professus sit, hanc, vel istam, vel illam, &c. professus est. At hoc quis dixerit, dum Religiosi status singuli, quasi æmulatione quâdam pia concitati, suo illum cætui adiungunt, siue Socium, siue Ducem? In quam litem ego hodie falcem non mittam, acquiescens ijs, quæ in 1. ad Cor. 1. v. 9. ait Apostolus.

Quæ quidem alij, vt lubet, accipere poterunt. Interea verò certum id esse fixúmque debet, siquidem aliquam Religionem IOSEPH professus sit, professum esse perfectissimam. Et Ratio est, quia, quò quis ad perfectiorem finem prædestinatur, eò

prædeſtinatur ad media perfectiora. At eſt ex vnâ parte IOSEPH prædeſtinatus ad perfectiſsimum finem; ex alia, perfectiſsima Religio eſt perfectiſſimum medium conſequendi eum finem. Ergo IOSEPH reipſa profeſſus eſt perfectiſsimam Religionem.

Huc ergo tandem recidit propoſita quæſtio, quænam in ſpecie Religio reliquis perfectior ſit. In ſpecie, inquam; quia conſultò ſuccidimus hîc nihil profuturam determinationem alteram, cuinam particulari Religioni primas perfectionis demus. In illa etiam latitudine ſpeciei, & ſcopuli, & fluctus objiciunt ſe nobis, quos euitare labor erit. Verùm ſub Angelici Doctoris auſpicijs quis poteſt eſſe metus, niſi vanus?

Cum hoc ergo 1. Tria ſunt Religioſæ vitæ genera; nempe vnum, quod agit; alterum, quod contemplatur; tertium, quod agit, & contemplatur. Ac primum ex his ſecuta eſt Martha; alteri ſe Magdalena addixit; tertium denique Chriſto & Apoſtolis placuit. 2. Genus alterum vitæ Religioſæ, quod contemplantium eſt, excellentius eſt primo Agentium. Ratio eſt 1. quia Luc. 10. v.41. ait Chriſtus; *Martha, Martha, ſolicita es circa plurima*, &c. MARIA *optimam partem elegit*. 2. quia excellentius eſt occupari circa finem, quàm circa media. Atqui contemplans occupatur circa finem, quô obtentô ceſſat actio; at agens circa media occupatur. 3. Mixtum genus ex contemplatione & actione excellentius eſt quolibet alio diuiſim ſumpto, ſal-

ptô, ſaltem in hoc præſenti viæ ſtatu. Ita S. Thom. 2. 2. q. 188. a. 6. & q. 189. a. 8. Rationes ſunt 1. plus eſt illuminare, quâm lucere. At mixtum genus ardet & illuminat. 2. quia MARIA, tantùm optimam partem, & non optimum totum, elegit. 3. quia tale vitæ genus duxit Chriſtus cum Apoſtolis, ducúntque modò Epiſcopi. At hoc haud dubiè perfectiſſimum eſt. 4. quia non tantum actio contemplationem non deſtruit, ſed eandem perſæpe iuuat, ſiquidem fini accommodata ſit. Hoc ergo genus vitæ religioſæ, etiam IOSEPH, profeſſus eſt, ſub tribus votis. Quam enim cauſam habuit Virginitatem vouendi, habuit & Paupertatem, cum Obedientiâ, vouendi. Chriſtus quoque Pontifex ſummus auctoritatem votis haud dubiè dedit. Denique mendicâſſe hunc ſatis clarè colligitur ex Suar. Diſp. 28. S. 2. vt proinde neque hoc ignores, IOSEPHVM *ex ordine, ſiue ſtatu, mendicantium* fuiſſe.

ELOGIVM L.

IOSEPH

Vir ſecundum cor Dei.

MVltarum inſtar laudum eſt, eſſe Virum ſecundùm cor Dei. Ideo quærere non deſtitit etiam Dominus illum, 1. Reg. 13. donec inueniret Dauid filium Iſai. Verùm ſucceſsêre Dauidi mortuo ætates bene multæ, quibus ne quidem

dem si in Lucernis scrutatus Israel esset, inuenturus fuerit Dauidi similem virum secundùm cor Dei. Serò tandem, *vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum,* ad Gal. 4. v. 4. denuo quæsitum; qui illico, vt verbis vtar Bernard. Serm. 2. super Missus est, IOSEPHVM, *tanquam alterum Dauid, inuenit iuxta cor suum, cui tutò committeret Sacratissimum sui cordis arcanum.* Vbi quidem mihi verba singula mirificè extollere videntur eundem nunquam satis laudandum IOSEPHVM. Sed iam officium meum præuertit Carthag. lib. 9. Hom. 7. Cuius ego vestigia, has inter angustias Lucubrationis meæ, isthic premam solùm, declaraturus paucis, IOSEPHVM non tantùm esse Virum secundùm cor Dei, sed etiam esse ipsissimum cor Dei.

Igitur 1. *Cor* à cura dicitur. At hanc tam Deus circa IOSEPH, quàm IOSEPH circa Deum adhibuit maximam.

2. Pulmonum ventilabro temperatur Cor à nimio sanguinis æstu. Hoc quoque tum Deo, tum IOSEPHO contulit Spiritus sanctus; cuius nomen ne quidem auditum est vnquam in veteri Lege, sed primùm insonuit tempore IOSEPHI, quô & amor Dei ex cœlo in terram, & è terra in cœlum validius exarsit. Ibi enimuero Spiritus ille diuino ventilabro vtrobique sustulit sanguinis æstum, æstum, inquam, iræ, siue iustitiæ, in Deo, & amoris incasti in IOSEPHO, ne quidem fomite concupiscentiæ relicto.

3. Cor alternis motibus constringitur & dilatatur.

latatur. Similiter verò tam Dei cor quàm IOSEPH primò constringitur per timorem; dein per lætitiam dilatatur. Loquor enim hîc de Deo incarnato ex Virgine, quem cum parentibus suis vicissitudines illæ per omnem vitam exercuêre.

4. Cor hominis versus sinistram partem inclinat, secùs quàm aliorum animalium corda solent, quæ nonnisi in medio sunt. Id autem eo consilio fecit Author naturæ nostræ Deus, vt desideria nostra præcipuè inclinaremus ad partem sinistram aduersitatum. Ipse quoque Cor Filij sui, ac IOSEPHI illuc iugiter depressit. Certè IOSEPH, comperto illum Dei, ac suum Filium in Ligno, nostri causa periturum, quoties deinceps quodcunque lignum manibus subiecit, simul cor suum dulci recordatione affixit ligno illi viuifico, paratus ibidem, & compati, & commori. Barry.

5. Cor duas intra se valuulas habet, auribus humanis persimiles, quas etiam ob hanc formam auriculas appellant Medici. Has iterum in corde Filij Dei quiuis facilè deprehendet, memor, subditum fuisse parentibus suis factúmque pro nobis obedientem vsque ad mortem Crucis. Verùm & IOSEPHO suo debetur obediendi laus; quam infra Elog. 88. singillatim describam.

6. Cor amoris sedes est; ideóque amor cùm pingitur, sub cordis schemate exprimi solet. At quid est aliud Deus, nisi amor, merúmque cor, quo sui quodammodo oblitus fertur in IOSEPHVM vnâque nos. Et IOSEPH quidem eidem cereum

suum

ſuum cor, ſubſtrauit ſine mora, inuitans cæteros exemplo ſuo, vt & nos ab amore diuino conſignaremur, vel ſi ferrei ſimus aut plumbei, colliqueſceremus. Ideo idē aliquando ſpectabilem ſe præbuit, manu ſiniſtra præferentem Cor supernè flammas euibrans. Faxit autem Deus, vt his flammis ſubigatur etiam noſtrum Cor; vt enim S. Auguſtin. lib. 1. Conf. cap. 1. agnouit; *Feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.* At requieſcimus in Deo, ſi omnes eius voluntates faciamus. Hoc ergo agendum iam eſt, quod olim egit IOSEPH, Vir ſecundùm cor Dei.

ELOGIVM LI.

IOSEPH

Septem maximis doloribus exercitus.

SI Chriſtum oportuit pati, & ita intrare in gloriam ſuam, mirari nemo debet, eandem viam oportuiſſe prius IOSEPHVM pertranſire. Eſt enim hic parentum amor & cura, vt quam poſtea filij ingreſſuri ſunt viam, ipſi antea ſuomet periculô prætentent. At verum eſt, pati oportuiſſe Chriſtum. Id namque prolixè ex Moſe & omnibus Prophetis Luc. 24. v. 27. oſtendit. Oportuit ergo antea etiam IOSEPHVM pati, & quaſi prætentare viam Regiam Crucis. At quis ritè hanc ipſam viam, grauéſque dolores eiuſdem enumeret, tot annorum ſpatijs diſtans? Nobis certò ex Scri-

pturis

pturis sacris, eò quòd ferè de Christo tantùm loquantur, nonnisi dolores septem à IOSEPHO tolerati occurrunt, quos tamen ante nos dudum Maiores nostri & agnouerunt, & reveriti sunt. Ab his autem acceptos ego quoque posteritati, quoad calamô meô consequi potui, transmitti exopto.

Igitur primus IOSEPHI dolor fuit cùm iniecta menti grauissima dubitatio, deserendi clam Vxorem summè dilectam, totâmque Spiritus S. de quô grauidatam videbat, relinquendi. Quam quidem dubitationem alij negant ex humilitate conceptam, (cuius contrarium supra affirmabam); ponúntque metum & suspicionem eius causam. Sed non perinde dolorem minuit quisquam. Cum enim is nascatur ex apprehensione mali, videtur æqualis esse vtrobique, quia & maximum malum est, deserere coniugem, quam retinere teneris. Id solum obiter notari cupimus, si IOSEPH timuit, ne suâ maritali præsentiâ, Virgineæ Conceptioni Matris Dei & Dei filij officeret, frustra profectò inquiretur dolendi causa maior. At hoc mihi multísque alijs verisimilius est.

2. Dolor; cùm IESVM Dei filium, in stabulô, duro fœno incubantem, & frigori hiberno expositum vidit. Vbi singula, quæ siue tali filio, siue Matri eius, fuerunt dolendi causæ, in paternum pectus IOSEPHI, vnô velut impetu, irruerunt.

3. Cùm Circumcisioni IESV siue vt Patrinus, siue etiam vt Minister adstitit; collegítque sanguinem eius; ac carnem abscissam præputij. Quod

ei spe-

ei ſpectaculum longè acerbiſſimum fuit, quia probè ſciebat ex adeò rubente aurorâ ſecuturum aliquando imbrem ſanguinis totius, vitæque inevitabilem interitum.

4. Cùm Simeonis Sacerdotis ac Prophetæ triſtiſsima verba, audiuit, *Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſrael, & in ſignum, cui contradicetur, & tuam ipſius animam pertranſibit gladius*, Luc. 2. v. 35. In quibus verbis aduerte ſis mentem ad hæc *tuam ipſius animam*. Referri enim poſſunt æquè ad IOSEPHVM, ac IESVM. Sed hoc fortè magis ex coniectura dicitur. Interim tamen facilè alia complura obiecta doloris inueneris pro IOSEPHO tam triſtem Simeonis prophetiam audiente.

5. Cùm metu Herodis in Ægyptum exul abijt cum IESV puero, & MARIA matre eius, incertus de loco, tempore, victu, veſtitu, cæteriſque omnibus neceſſarijs comparandis. Iſque dolor totum ſeptennium tenuit.

6. Cùm ex Ægypto reuertens audijt regnare Archelaum, Herode patre multò immaniorem. At erat Herodes tamen ſupra exemplum crudelis. Quantum ergo, Deus bone, ex Archelao metus in IOSEPH incubuit?

7. Cùm IESVM duodecennem nihil tale cogitans, perdidit, perditûmque toto triduo quæſiuit. At erat IOSEPHO IESVS omni theſauro pretioſior.

Cæterùm hæc vt aſſequare propiùs, ſcito 1. dolores

dolores istos fuisse internos,qui externis grauiores sunt, vt docet S. Thom. 1.2. q. 35. a. 7. & q. 37. a. 1. 2. processisse ex intima apprehensione mali præsentis. 3. Malum vbique ex Christo quandam infinitatem traxisse. 4. IOSEPHVM nulla sua culpa eos omnes dolores toleràsse. 5. Propter Christum summè diligibilem, & dilectum omnes sustinuisse. 6. Infinities maiores, eius causa, perferre optauisse. 7. Ad Christi Patientiam exprimendam nullum vnquam propius accessisse, &c.

ELOGIVM LII.

IOSEPH.

Septem maximis gaudijs perfusus.

NOn falli Deus propter omniscientiam, nec fallere propter bonitatem, etiam materialiter, potest. At, inquit ille per Dauid psal. 93. v. 19. in personâ hominis iusti: *Secudùm multitudinem dolorum meorum in corde meô, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Si ergo IOSEPH noster septem maximis doloribus exercitus est, prout proximè ostendi, meritò Deus tristissimum cor eius alijs septem gaudijs æquè magnis perfudit. Hæc nunc gaudia ex Paulo de Barry c. 6. & Carthag. lib. 4. Hom. 3. vnde dolores quoque accepi, proferam.

Ac 1. est; Cùm animi pendens, à Gabriele Seraphinô Angelô suauissima hæc verba audiuit: IOSEPH

SEPH *fili Dauid, noli timere accipere MARIAM coniugem tuam; quod enim in eâ natum est, de spiritu sancto est* Matth. 1. v. 20. In quibus verbis equidem censeo, IOSEPHO summam obtigisse votorum omnium, quorum esse capax animus humanus potest, simul enim diuinô oraculô possessionem certam æternámque adijt, non solùm coniugis suæ inter omnes supremæ, sed etiam Filij Dei inde nati. Tum verò hæ solæ duæ voces, *Noli timere*; etsi à reliquis auellantur, causa summi alicuius gaudij haud dubie fuerunt. Lege-sis enim Matth. 6. v. 50. c. 14. v. 27. c. 28. v. 5. & 10. Marc. 16. v. 6. Luc. 2. v. 10. c. 5. v. 10, c. 8. v. 50. c. 24. v. 36. Ioan. 6. v. 20. & fatebere nobiscum, nihil optabilius esse posse verbis, NOLI TIMERE, iubente Deô prolatis.

2. Cùm in stabulô Bethlemiticô Saluatorem Mundi recèns de Virgine natum adorauit, vnà cum totô Angelorum exercitu, vt Corn. in 2. Luc. ait, dulcissimè ac deuotissimè accinente. Quô tempore ijdem Angeli, promissum initiò creationis suæ incarnando Verbo homagium, reipsa præstiterunt incarnato, iuxta illud ad Hebr. 1. v. 6. *Et cùm iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.* At quid magis volupe esse potest tali tantóque spectaculô, vbi Creator in carne reperitur cum suis præcipuis Creaturis?

3. Cûm nomen IESVS, à Deo & Angelis præscriptum primus omnium hominum pronunciauit, imposuítque Filio Dei, qui se *Filium hominis*

voca-

vocabat, siue in gratiam MARIÆ, quæ per antonomasiam homo est, siue potius IOSEPHI ipsius; dicitur enim τοῦ ἀνθρώπου, hoc est *hominis viri*; nemóque, vt ex dictis patet, pluribus nominibus est Pater IESV, quàm IOSEPH Vir MARIÆ, stirps vltima Dauidis, & proxima.

4. Cùm à Simeone intellexit, IESVM tot tantísque laudibus celebrari; scilicet esse Saluatorem Mundi; Lumen ad reuelationem Gentium; gloriam plebis Israel; Auctorem Resurrectionis multorum. Quis enim Pater non delectetur de tanta filij sui felicitate? At huic æquari nulla alia potest.

5. Cùm eundem IESVM vidit in ingressu Ægypti vnâ suâ præsentiâ inclinare Perseidem arborem pro diuina habitam, deijcere idola à Dæmonibus insessa, eosdémque etiam ex regno profligare. Fuit namque victoria hæc Symbolum eius, quam postea in cruce consummaturus erat contra omnes Tartareos Spiritus.

6. Cùm denuò iussus est Angelica voce, cum Matre & Filio redire in Iudæam. Qui nuncius vti finem attulit ærumnarum grauissimarum, quibus pæne confectus fuit, ita initium dedit lætitiæ multiplicis, cuius vnica Nazarethana Domus conscia est, nemine illuc arbitro admisso.

7. Cùm IESVM reperit in templo, disputantem audiuit, domúmque ad diuturnam commorationem reduxit.

Atque hæc gaudia eodem animo, quô dolores, accipi volo. Illud præterea aduerte, etsi, tum

dolores, tum gaudia intra genus ſuum maxima fuerint, maiora tamen fuiſſe gaudia doloribus. Imò impoſſibile eſt, aliquam triſtitiam, vel dolorem eſſe ſummum malum; vt docet S. Thom. in 1.2. q.39. a. 4. in corp. Non eſt autem impoſſibile, aliquod gaudium eſſe bonum ſummum.

ELOGIVM LIII.

IOSEPH

In virili ætate omnibus ſenibus maior.

IMmeritò iraſcuntur Pictoribus aliqui, propterea quòd IOSEPHVM pinxerint ſenio curíſque grauem, cernuo vultu affixum terræ, ac rugis caníſque obſitum. Didicerunt enimuerò id ex Epiphan. hæreſi 51. & 78. & Cedreno octogenarium conſtituentibus; quibus aliud quiduis credimus alijs in rebus.

Verùm, liceat dicere tantorum Virorum pace, idem eſt veracitatis humanæ, qui viarum trames. Nec via enim vlla, nec veracitas ex omni parte integra eſt. Eligenda ergo à meipſo via eſt, quoad iudicio aſſequi poſſum, optima, & illa intrepidè tenenda. At ea eſt *virilis* IOSEPHI *ætas*, cùm in manus MARIÆ venit, vt Sponſus, & cuſtos Virginitatis illibatæ. Quam ætatem illi tribuunt Suar. Diſp.7. S. 3. Viguerius in inſt. cap. 20. §.9. Maior in 1. Matth. Carthag. lib. 4. Hom. Salian. ad ann. Mundi 4051. Caſtr. cap. 4. Barrad. lib. 6. cap. 8. Bonif.

Bonif. mihi fol. 41. ſed hi tamen non determinant ætatis annos, vno Maiore excepto, qui triginta, aut non multo plures poſuit: Ego autem eos ipſos etiam ad quadraginta extendi ſino, illam nempe ætatem, quæ ſufferre matrimonij onera, prolem inquam ſuſcipere, & eam cum coniuge tueri ac ſuſtentare poſſit.

Cuius Rationes ſunt 1. Quia Iſaiæ 62. vbi de tempore aduentus Meſſiæ ſermo eſt, dicitur v. 5. *Habitabit enim iuuenis cum Virgine.* At ſenex vtique iuuenis non eſt. Non ergo IOSEPH habitans cum Virgine ſenex fuit; ſed iuuenis. Et meritò; quia Lyran. locum hunc interpretans; *habitabit*, inquit, *iuuenis cum Virgine*, vt IOSEPH cum MARIA, Valerianus cum Cæcilia, Chryſanthus cum Daria. 2. Quia teſte Luc. 3. v. 23. IESVS putabatur filius IOSEPH, carnalis ſcilicet. At ſenis decrepiti, cuiuſmodi octogenarius eſt, filius aliquis putari non poteſt, ſaltem ab ijs, qui aliud non cupiunt, quàm vita famáque ipſum funditus deijcere; prout fecêre Iudæi. 3. Quia eiuſmodi, par eſt, fuiſſe coniugium IOSEPHI & MARIÆ; cuiuſmodi recta ratio dictat debere eſſe aliorum. At hæc dictat non debere eſſe nimiam improportionem inter virum & fæminam. 4. Quia IOSEPH appellatur Luc. 1. v. 27. Vir; itemque Matth. 1. v. 16. Vir MARIÆ. At hæc vox, Vir, in ſua propria ſignificatione, quam cæteris paribus Sacræ Litteræ præferunt, diſtinguit Virum à ſene. 5. Quia ſenex ſi fuiſſet, non ipſe MARIAM cuſtodire potuiſſet, ſed

hæc ipſum debuiſſet cuſtodire. Quid autem cuſtodire dicimus? debuiſſet, inquam, manu ducere, gubernare, alere, &c. Senem hunc. Quaſi verò tenella Virgo aliud, quod ageret, non haberet; & Ægyptus Nazaretho, ac Hieroſolyma, quò quotannis peregrinabantur, prorſus contermina eſſet. 6. Quia, quæ cauſa ſacerdotibus fuit, properandi matrimonium MARIÆ, etiam fuit non nimium differendi matrimonium IOSEPHI. Si ergo MARIAM non potuit à matrimonio eximere votum Virginitatis, neque idem potuit eximere IOSEPHVM ad vſque decrepitam ætatem, in qua ne quidem ſine riſu & ludibrio ſpectantium nouam nuptam deducere poterat.

Sed hîc mihi os penicillis ſuis pictores oblinere conantur. Verùm viuo adhuc, & colores omnes abſtergere poſſum penicillo linguæ, quali non ante multos annos abſterſit Theophilus Raynaudus, accuſans hoc hominum genus portentoſæ pietatis. Si tamen, quod malo, audire me antè velint, ſuadeo, vt ijs, qui ſe inceſſunt, dicant, IOSEPHVM meritô Virtutis & Sapientiæ, ſenem fuiſſe, non annorum cauſa; adhæc paucos IOSEPHO ſimiles ſe reperire potuiſſe, qui iuuenem cum Virgine, in tanta formæ ac morum indulgentia, impunè intueri poſſent; ac demum labores ſuos ad ſimplicem potius plebem, quàm viros doctos attinere; qui tamen illam informare ſapienter de omnibus poſsint.

ELO-

ELOGIVM LIV.

IOSEPH

Grauissimè vindicatus à Deo.

POena, inquit S. Thom. in 1. 2. q. 87. a. 3. & 4. proportionatur peccato secundùm acerbitatem, in iudiciô diuinô & humanô. Si quis ergo nosse velit, quantum ij, qui IOSEPHVM offendêre, peccârint, intueatur primò pœnam, quâ illos Deus propterea pessum dedit. Hi autem sunt præcipuè Bethlehemitæ, qui IOSEPHVM, apud se oriundum à Maioribus, non solùm vrbe, & domibus cognatorum, sed etiam diuersoriô publicô, vnâ cum prægnante matre partui proximâ, excluserunt. Tum verò commemorandi sunt etiam Herodes, & Archelaus Iudææ Reges, quorum ille IOSEPHVM in exilium fugere coëgit; hic ab exilio reducem, patriâ in Galilæam expulit.

Igitur ad Bethleemitas quod attinet, luêre primò in suismet infantibus, quos per summum nefas prætulerant Infanti Diuino IESV. Cùm enim Herodes à Sacerdotibus & Scribis intellexisset non ablatum iri sceptrum ex Iudâ, & Ducem de femore eius, donec veniat qui mittendus est, Gen. 49. v. 10. in eam sententiam venit, se, qui primus externorum occupâsset id sceptrum, Messiam esse oportere. Id autem negabant præter Herodianos alij omnes; nupérque tres Magi Orientis, publicâ Religione alteri apud Bethleemitas nato Messiæ

 impen-

impensâ, damnârunt. Hunc ergo Subuentaneum, vt videbatur, Messiam, etiam per innocentissimorum infantum cædem scrutari, tollerèque è mediô, decreuit, inductus maximè Magorum, adoratum puerum prodere nolentium, contra datam fidem, clandestinô abitu. Nec defuère, decreto immanissimi tyranni, Carnificum turmæ; sed confestim, velut indagine, cinxère omnes Bethlehemi fines totam inquam tribum Iudam & Beniamin, & quotquot vspiam Liberorum erant, qui nōdum biennium excessissent, conquisitos, in conspectu ciuium Bethlehemitarum, intra ipsa eorum mœnia, domósque paulo ante IOSEPHO negatas (Decker. in Thes. an. 10. ex Origen. & Nyssen.) crudelissimè trucidârunt; ne quidem Antipatrô ipsius Herodis filiô superstite relictô. Testantúrque tum Aethiopes in Liturgia sua, tum in Menæis Græci ad 29. Decembris, eâ solâ lanienâ cæsa esse quatuordecim millia huiusmodi paruulorum. Vbi enimvero parentes omnes etiam ipsi grauissimas dedère pœnas Vltori Deo; quorum comploratio & vlulatus multiplex vsque in Rama extendit se, omni consolatione maior.

Sed Herodis quoque meminisse debemus, qui carnificinæ isti suæ vix momentô interpositô, miserrimè succubuit. Simulac enim ea perpetrata erat, & IOSEPH cum suis ex Iudæâ aufugit, cœpit corpus eius calore tabifico torreri; stomachus insatiabili fame vexari; cruciari viscera colicis passionibus; pedes pellucidô phlegmate distendi; infamia libi-

libidinibus membra fœdissimis vermiculis, iuxtàque putredine infestari, artus omnes neruique ingenti cum dolore contrahi; donec tandem circa paschale tempus impiam animam ad æuiternos inferni cruciatus transmisit. Ita Euseb. l. 1. Hist. c. 8.

At non dissimilis Herodi fuit Archelaus filius eius, qui cùm initio Regni tria ciuium millia in ipso templo ceu victimas, trucidasset, aliàque scelera, digna sanguine paterno, perpetrasset, demum Augusti iussu exul ire in Gallias debuit, qui IOSEPHVM ab exilio reversum, ne in patria consisteret, crudelitatis notissimæ exemplis, in externam Galileæ prouinciam compulit abire.

Hîc ergo tum pœnas, tum peccata ipsa eorum, qui IOSEPHVM persecuti sunt, vides. Sed quæso te, transfer nunc animum ad dignitatem viri, quam præcipuè notam cupio. Est hæc eô maior, quo iniuria; & iniuria, quo pœna; & vicissim. At est pœna longè maxima. Non est ergo iniuria minor. At iniuria à dignitate offensi desumitur. Si ergo iniuria par est pœnæ, maxima maximæ, dignitas quoque IOSEPHI maxima sit, necesse est. At licet omnia maxima sint, non tamen negare possumus, Deum, etiam in summo iustitiæ rigore, & circa iniuriam longè maximam adhuc misericordem esse, vt S. Thom. in 1. p. q. 21. a. 3. & 4. docet.



ELO-

ELOGIVM LV.

IOSEPH

Baptizatus à IESV.

SI quæ IOSEPHO diuina Beneficia collata ſunt, memoriæ noſtræ ſacræ Litteræ prodidiſſent, hoc vtique labore ſuperſedere poteram, quem vnus eius amor extorſit. At nunc ex innumeris nonniſi pauca pervenerunt ad nos. Æquum igitur eſt, tum noſtro, tum tuo, Lector in hunc Diuum amori, laxare dicendi vela, pluráque Beneficia vulgò ignota aliunde colligere.

Inter hæc autem pœne neceſſarium mihi videtur Baptiſmi collatio. Pœne; inquam, neceſſarium: Incertum enim eſt, magîſne IOSEPH ad veterem, quàm novam pertineat Legem; audierítne etiam, ſeuera Chriſti verba: *Niſi quis renatus fuerit,* Ioan. 3. v. 3. ſimillima illis Ioan. 6. v. 54. *Niſi manducaveritis carnem filij hominis,* &c. Igitur cautiùs loquendum fuit, ne veritatis nauicula, in ipſo ſuo è portu egreſſu, hæreret in vado, auxilij ſpeíque impos. Sed iam animô totô, ſi quis in me eſt, connitar, oſtendámque, Baptiſmo, Beneficio ſaltem vtili, ſi non neceſſario, IOSEPHVM initiatum à Chriſto eſſe. Hoc mihi nulli quidem directè & explicitè dixêre teſtes; quis enim hos vbique compareret? ſuaſere tamen Rationes aliquot quas tibi repræſentandas, duxi.

Prima eſt; Quia ipſemet Chriſtus, ab ipſa Baptiſmi


ptiſmi Lege, vtpote Auctor eius, planè eximius, accepit nihilominùs à Ioanne Baptiſta Baptiſmum, & quidem pœnitentiæ ſolùm, non gratiæ, vt docet S. Thom. in 3. p. q. 29. a. 2. neque ob aliam cauſam, quam propter exempli vim nobis profuturi, virtutémque omni ex parte perfectam. *Sic enim decet nos*, me nempe, ac meos, *implere omnem iuſtitiam*, Matth. 3. v. 15. At hæ duæ cauſæ IOSEPHVM Chriſto non minùs virtute, quàm ſanguine proximum, manifeſtè concernunt, vt nil dicam, de plenitudine gratiæ Baptiſmo Chriſti propriæ, modóque ſanctificandi certiſſimo ex opere operato.

2. Quia Chriſtus illo adhuc tempore, quô nondum Baptiſmi Lex obligabat, (obligare enim nonniſi prima poſt eius mortem pentecoſte cœpit) baptizauit primò MARIAM Matrem. Euthym. in cap. 3. Ioan & Suar. Diſp. 18. S. 3. Dein, Ioannem Baptiſtam. Auct. imp. oper. hîc hom. 4. & Hieronym. cum Caſtrio cap. 15. & Cornel à Lap. in 3. Matth. Atque etiam Petrum. Niceph. lib. 2. cap. 3. & Clemens Alexand. in 5. Hypotypoſeon apud Sophron. in Prato cap. 76. Ac tandem alios omnes Apoſtolos, Euodius apud Corn. in cap. 3. Matth. Scrutare autem obſecro iam cauſas, quæ Chriſtum inducere potuêre ad impertiendum his omnibus illud Baptiſmi Sacramentum. Sed neceſſe non eſt ſcrutari, quod in propatulo iacet. Scilicet aut Chriſtus dignitatis, quæ officium conſequitur, aut virtutis, quæ merita, rationem habuit. At dignitas in IOSEPHO maior fuit; Virtus au-

tem par, si non maior; dignitati, virtutique Ioannis, Petri & reliquorum; Et de virtute quidem postea videbo, cùm sufficiat Dignitatis apex ex tot Paternitatum titulis, quos suprà latè exposui, ad immensam altitudinem consurgens.

3. Quia qui confert Beneficia specialia alicui, non videtur negare communia, siquidem aliunde haberi non possunt. At est Baptismus Beneficium nonnisi commune; Christúsque alia complura magis specialia contulit IOSEPHO. Ergo illud quoque Christus eidem contulit, siquidem alius, qui conferret, non erat.

4. Quia nil magnopere opinioni isti aduersatur. Si enim quid esset, vel esset 1. Euodij testimonium apud Niceph. lib. 2. cap. 3. vbi dicitur Christus manibus suis Petrum tantummodò baptizâsse. At hoc verisimile non videtur, propter ea, quæ dixi. Nil ergo inde ego expugnor. Vel 2. esset perbreuis IOSEPHI vita, succisa nempe, antequam Baptismi nomen auditum est. At hoc quoque asseritur tantùm, non verò probatur. Imò contrarium eius confido probari posse. Sed tu modò respira nonnihil; vt aures animúmque alibi rectiùs aduertas.



ELO-

ELOGIVM LVI.

IOSEPH

Antiquus conuictor IESV.

OPtabat S. Ignatius Parens noster, cùm Parisijs operam Litteris daret, nancisci eâ in vrbe Herum aliquem, cui veluti Christo IOSEPHI instar, seruiret deuotam seruitutem. Sed id ei uotum, vt dispar est hominum sors & conditio, nequaquam è sententia cessit. Licet ergo vni IOSEPHO, sic esse felicem, & quidem per annos admodum multos, nisi fortè hanc ipsam eius tam diuturnam felicitatem aliquis Parcarum Nepos succidat; quod vtique ferre non debeo, si possim non ferre. At lis hæc aliter absolui nequit, quàm si declarem, quamdiu IOSEPH conuixerit seruieritque Christo, ac Matri Virgineæ: Ob hanc ergo causam.

Dico 1. Verisimile non est, IOSEPHVM paulò post duodecimum Christi annum migrâsse è vita; quod Epiphanio Hæres. 78. Baronius credidit de Augusto agens. Rationes meæ sunt; 1. quia Desponsationis IOSEPHI cum MARIA finis, maximam partem, periret. Is enim est, vt habeatur Paterfamilias, nutritius, & custos, tum MARIÆ, tum IESV. 2. quia de toto illo vitæ tempore, quod inter duodecimum & trigesimum Christi annũ intercessit, aliud Lucas 2. v. 51. non dicit, quàm; *Et erat subditus illis.* At dici de tam longo tempore non po-

teſt, ſubditus fuiſſe illis, ſi eorum vnus non multò poſt eſt mortuus. 3. quia illigari curis domeſticis nec Chriſtum, nec Virginem decet. Quorum tamen alterutrum ſublato IOSEPHO planè neceſſarium eſſet.

Dico 2. Minùs adhuc probabile eſt, IOSEPHVM Chriſto ſuperuixiſſe. Quod aliàs magnis Auctoribus placuit; puta Cypriano in Serm. de Paſſio. Dom. & Ambroſ. in cap. 23. Luc. Quibus malè Chryſoſtom. hom. 5. in 1. Matth. & Auguſt. addunt aliqui. Sed Rationes ego modò ſolas exhibeo, de auctoritate poſtea decreturus. Probatur igitur aſſertio 1. quia non apparet, quomodo Chriſtus ſine ſcandalo adſtantium Cruci inimicorum ſuorum Matrem auferre Legitimo Viro, & hactenus, pro parente culto, publicè potuerit, & commendare alteri, ceu viduam, cùm vidua nondum eſſet. 2. Quia vtique IOSEPH etiam ipſe Paſſioni ac Cruci Chriſti adſtitiſſet. An enim à mulieribus patiatur ſe vinci vir? an illum deſerat morientem, quem viuentem in Ægyptum deduxit, indéque reduxit; quem etiam olim perditum, toto triduo, cibi, vt Gratianus refert lib.4. cap.4. potúſque expers tam ſolicitè requiſiuit? an denique præterito iſto ſuo tam charo IOSEPH, ad vltimum ſummúmque pietatis officium aſciſcat ſibi Ioſeph alium, ab Arimathia nempe, longè priori imparem?

Dico 3. Probabilius eſt, IOSEPH deſijſſe viuere, poſt Baptiſmum Chriſti ante Paſſionem eius, & quidem paulò ante nuptias Canæ Galileæ, inter

inter quas & Baptiſmum, annum interceſſiſſe rectè probat Suar. Diſp. 26. S. 1. Porrò Auctores concluſionis ſunt Hieronym. lib. contra Heluid. Cedren. in Comp. Hiſt. Bonavent. in vita Chriſti cap. 27. Gerſon de S. IOSEPH. Caniſ. lib. 2. cap. 13. Salmeron tr. 41. Card. Tolet. in cap. 2. Ioan. Suar. cit. & alibi. Barrad. lib. 3. ſuper verba: *Et erat Mater* IESV *ibi.* Caſtr. cap. 13. & nouiſsimè Carthag. lib. 18. Hom. vlt. §. 7. plures alios citans.

Rationes ſupra eas, quas iam attuli, ſunt 1. Quia nulla, in nuptijs illis Canæ, fit mentio IOSEPHI. At erat ibi, præter IESVM & Diſcipulos, MARIA Mater IESV. 2. Quia dum Ciues eius Nazareni loquuntur de familia IESV, ex vna parte tacent, IOSEPHVM eo adhuc tempore, viuere, ex alia parte ſatis clarè inſinuant, non diu antè vixiſſe. *Nonne* enim, inquiunt, Ioan. 6. v. 42. *hic eſt Filius* IOSEPH, *cuius nos nouimus patrem & matrem?* 3. Quia neque tum quidem adeſſe legitur, cùm Matth. 12. v. 47. dicit: *Ecce Mater tua & fratres tui foris ſtant, quærentes te.* 4. Quia ſic optimè defenditur Baptiſmus IOSEPHI; & quod haud dubiè in votis vnicè habebat, tempus aliquod audiendi Evangelicam Doctrinam, videndique progreſſum eius conceditur. 5. Quia ad id vſque tempus conſeruari Patrem hunc à Filio non minus decet, quàm Patriarcham Iacob conſeruari à Ioſeph Filio.

ELO-

ELOGIVM LVII.

IOSEPH.

Ad mortem beatissimam à IESV præparatus.

TRia sunt probationum genera, ac quidam quasi gradus, quibus præsens Lucubratio nititur, Primum ex Scriptura, S. Concilijs Traditionibus, & vnanimi patrum consensu petitum, cui refragari, Catholico nefas est. Alterum in Auctoritate Doctorum placitisque consistit, quò priori probationis genere destitutus recipio me. At euenit non rarô, vt neque istud inueniri possit, ibi ergo ad tertium confugiendum est, quod coniecturæ prudentes, præsumptiones, & iudicia pariunt. Si ergo nonnulla ex his, quæ de IOSEPHO scribo, neque ad primum, neque ad alterum probationis gradum pertingant, noli, obsecro, apocrypha, hoc est digna tenebris, appellare, Nam apocryphum dupliciter accipitur; 1. pro eo, quod Hagiographum, siue Canonicum non est; 2. pro eo, quod nonnisi tenebris ac silentiô dignum est. At, subsumo, non quidquid non est Hagiographum, siue Canonicum, illico dignum tenebris est, & 2. modo apocryphum, vt doctè obseruat Iacobus Kellerus de Cathol. Papat. a. 16. cap. 1.

Igitur videndum hîc prius est, quibusnam argumentis præsens Elogium lucem fidémque mereatur. Ante omnia stant pro illo testes Gerson in Io-

in Iosephina S. Bernardin, p. 4. Serm 12, Gratian. l. 4. in fin, Carthag. l, 4. Hom. 2. & alij plures. Deinde pro eodem stant Rationes variæ minimè leues, quarum aliquas tantum attingam.

1. est; Decet, IOSEPHVM sic à IESV esse præparatum. Ergo præparatus est. Antecedens patet, quia nihil omissum est à IESV quod decet. 2. Dedecet, non esse præparatum. Ergo præparatus est. Antecedens constat ex quarto Decalogi præcepto; *Honora patrem*, &c. At hoc est humani diuiníque iuris vbique recepti, vbi ius adhuc habet locum. Ergo in eo, neque Deus Deíque Filius ex Virgine natus quoad substantiam, dispensare potest. Vel ergo IESVS est Filius IOSEPH; Vel non est. Si non est; MARIA imperitè dixit; *Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te*. Si est, honorare debet etiam ipse IOSEPHVM patrem suum. At vbinam magis, quàm in casu extremæ necessitatis, siue mortis? Dicendum ergo est, ad hanc à IESV filio suo præparatum esse IOSEPHVM patrem.

Sed pergo nunc, & singillatim ostendo, quo modo idem reipsa præparatus sit. Eum modum nobis inprimis exactè tradidit Isidorus Isolan. lib. 1. de S. IOSEPH, ad Adrian. VI. Pontificem ex quadam Orientali Historia fide dignâ, in qua Christus Discipulis suis illam ipsam præparandi methodum exposuit. Deinde autem Gerson alia eodem spectantia, itémque Carthag. adiecerunt, quæ tibi omnia, velut in Satura, promiscuè apponam.

Ac 1.

Ac 1. misit IESVS Angelum decretæ mortis nuncium, & tempus designauit, 2. Ei nuncio summa cum animi promptitudine assensit IOSEPH; cum dicto nulli alteri vsurpato; Cupio dissolui à Christo homine, & esse cum Christo Deo meo. 3. Idem petijt Michaëlem, Angelorum omnium, etiam Seraphinorum, Principem, cum tutelari suo Angelo, lætis vultibus morienti sibi adesse, simulque obtinuit 4. Ipse IESVS ac MARIA coniunx ad IOSEPHVM se contulerunt, sederúntque ad caput lecti, & decumbentem dulcissimo colloquio, aspectúque recreârunt. 5. Ibi IOSEPH, Confiteor, inquiebat, ô IESV te esse verum Deum & Saluatorem Mundi, te quoque ô MARIA esse immaculatam virginem, & Matrem Dei. Tum 6. erumpens in verba Simeonis: *Nunc dimittis*, &c. quantas potest gratias egit assidenti IESV. Vicissim IESVS 7. laudat præstita obsequia, promittítque præmium æternum. Ad hæc 8. Legatum constituit ab animas Limbo inclusas; quia appropinquaret redemptio illis; celerémque Resurrectionem promisit. Demum 9. cùm manus suas IESVS & MARIÆ manibus inseruisset, cùmque aliud in ore, oculis & animo non haberet, quam eosdem IESVM & MARIAM, prius acceptâ benedictione à IESV dormienti similis, migranit è mortali ad immortalem vitam; quam nobis IESVS intuitu IOSEPHI Patris sui concedere dignetur. Vide hîc etiam Bernardin. de Bust. l. 12 de Desponſ.

ELO-

ELOGIVM LVIII.

IOSEPH A IESV & MARIA comploratus.

SI IESV, erga IOSEPHVM recèns defunctum, pietatem comparem, cum pietate quorumcunque Veterum, quorum meminerunt Litteræ Sacræ, fidenter affirmo, etiam eá ipsá pietate suá, solum atque vnicum complexum esse omnia ac singula priscæ pietatis in defunctos exempla.

Nam 1. Iuxta Orientalem Historiam clausit mortuo IOSEPHO oculos, & os composuit IESVS, etiam supra Tobiam pius, qui Tob. 14. v. 15. solùm oculos clausisse Socerorum legitur. 2. Eidem IOSEPHO IESVS Sepulchrum comparauit, (pretiô, vel prece incertum) in valle Iosaphat, locô sepulchro Mariæ coniugi vicinissimô, ídque perpetuum ac semper gloriosum futurum. Cuiusmodi vtique præstantius est sepulchro Saræ, licet in eo sepulti sint Abraham, Isaac, & Iacob; itemque Rebecca & Lia. Hoc enim tandem Turcis in suæ superstitionis templum cessit, ac profanatum est. Sed neque Iosiæ sepulchrum ætatem ac memoriam tulit. Dic enim, vbi id inveniri possit? & si possit, an æquè gloriosum modò sit, ac fuerit. Equidem evolvi peregrinationes non paucas; at de Sepulchro Iosiæ præaltum vbique silentium est; contra verò sepulchrum IOSEPHI, quamvis octo & quadra-

quadraginta gradibus infra terram, nunc temporis sit, eminet tamen, & gloriam suam magis magisque propagat. 3. Non contentus sepulchrum comparâsse, feretrum ac Matrem pullâ veste sequentem, ad vsque locum quietis, simili in veste comitatus, & postea consolatus est. Ita Gerson. In quo denuo fateor, ignorare me, quod exemplum pietatis, etiam potuerit sequi. Nam tametsi alij quoque suorum cadavera destinatis sepulchris intulerint vti intulisse legimus Ioseph cadaver Patris Iacob, Gen. 50. non is tamen vestem posuit, aut aliam accepit; nec defuncti coniugem consolatus est, sed potius in morem militaris exercitus, ascendit in terram Chanaan cum curribus & equitibus, & multitudine hominum. 4. Super defuncti corpore, ac tumulo lacrimas profudit, velut adiuvans MARIAM Matrem suam, quæ desiderium Viri, adeò sancti & vtilis sibi, lacrimis testari satis non potuit. Idem Gerson & Barrad. l. 6. c. 8. Et ego hîc lacrimarum causas frustra scrutor. Nam quid amplius dici potest, quàm quod IESVS sit filius IOSEPHI & MARIÆ; hi vero parentes eius?

Sed lacrimari, inquies, turpe est viro forti? Quis neget, si quidem debilitas animi impar dolori in causa sit? At procul est à Christo debilitas hæc: profundit enim lacrimas suas, vt testetur pietatem suam, merita chari parentis, miseram humani generis conditionem, suum pro eodem sublevando vehemens desiderium. Et has lacrimas nullô unquam risu distinguit, semper serius, ac grauis, vt

etsi

etsi aliquando oculi exarescant, non cesset tamen animus alienâ tristitia, cùm propria deest, intra semet laborans. Vt verò lacrimantis IESV, recorderis semper, præter illas pietati datas, nôris, ipsum ternis vicibus oculorum laxâsse fontem. Nempe in morte Lazari Ioan. 11. v. 35. aspectu breui perituræ Ierosolymæ Luc. 19. v. 41. ac demum in Cruce, ad Hebr. 5. v. 7. vbi *preces supplicationésque cum clamore validô & lacrimis offerens, exauditus est pro sua reuerentia.*

Postremò autem diem paterni obitûs, qui in vigesimum Iunij, vt Orientalis Historia refert, incidit, anniuersaria Religione exornauit Diuinus Filius. Iis enim, qui, in honorem mortui sacrificium Missæ eò die oblaturi essent, singularem benedictionem, promisit. Quâ tamen haud dubiè neque nos carebimus, qui ritum Ecclesiæ Romanæ sequimur, & festum sancti celebramus 19. Martij vti neque carebunt Græci, qui 20. Decembris id colunt. Ipsa enim IESV pietas in exemplum proponitur nobis, quâ & nos IOSEPHVM, communem parentem nostrum, quoad possumus, & intelligimus, prosequamur.



ELOGIVM LIX.

IOSEPH

A IESV crucifixo reuocatus ad vitam immortalem.

DE fide est, IESV in cruce mortuo multa corpora sanctorum, qui dormierant, resurrexisse, ac post Resurrectionem eius venisse in sanctam ciuitatem, multísque apparuisse. Id namque pœne totidem verbis affirmat Matth. 27. v. 52.

At est solùm Theologicum problema, an hi ipsi Rediuiui sancti post aliquod elapsum tempus denuo corpora reddiderint monumentis, an verò immortales perstiterint. In quo problemate pars mihi posterior & autoritate & Rationibus potior est. Tenent namque eam Origen. sup. ep. ad Rom. c. 1. Remig. in 27. Matth. Anselm. hîc Clemens Alex. l. 6. Strom. Hieronym. Beda, Euseb. Epiphan. S. Thom. in 27. Matth. & in 4. dist. 43. q. 1. a 3. (etsi dissentiat in 3. p. q. 53. a. 3.) Iansen. c. 143. Cornel. à Lap. hic, & passim Recentiores.

Et Rationes sunt. 1. Quia ideo resurrexêre vt testimonium ferrent de Christi ad immortalem vitam Resurrectione. 2. Quia animæ beatæ & gloriosæ non exigunt vniri, nisi corpori glorioso & immortali. 3. Quia, vt ex Iavolenô Canisius in Reg. 15. Iuris in 6. refert, Beneficium Principis quàm plenissimè interpretari debemus. 4. Quia Christi in cœlum triumphalis ingressus destitutus fuisset

præ-

præcipuô victoriæ argumentô de redemptis captiuis, eiusdem etiam sacratissima Humanitas caruisset comitatu, aspectu, & alloquio omni cõuenienti.

Sed, quid hoc, inquies, ad IOSEPHVM attinet, si licet resurrexerint multi, ipse tamẽ præteritus sit. Quod fieri potuisse nemo est, qui neget. At, an est, qui argumentari contra me velit? IOSEPH *vi verborum Scripturæ sacræ potuit fuisse præteritus alijs resurgentibus. Ergo de facto præteritus est?* Ego quidem eiusmodi imperitum Dialecticum nequaquam spero fore. Quid enim notius, quàm non dari Locum argumentandi à potentia ad actum, Sed è conuerso ab actu ad potentiam? Aliàs sanè eodem argumenti robore nos quoque inferre possemus. IOSEPH *potuit vi verborum Scripturæ sacræ non fuisse præteritus alijs resurgentibus, Ergo de facto non fuit præteritus.* Quod tamen tu negas, & affirmo ego.

Igitur quæstionem facti, superest, vt decidam. At hîc principem partem sibi vendicant authentica testimonia, adversum quę iure excipere non possis. Ausculta-sis ergo bene longum Nomenclatorem eorum, qui IOSEPHVM inter alios multos etiam ipsum ad immortalem vitam resurrexisse testentur. Ii sunt Bernardin. Senens. qui in Serm. de S. IOSEPH. cap. 3. a. 3. Inter suscitatos, inquit, piè credendum est, quòd fuerit sanctissimus vir IOSEPH. Additque idem sentiens Bernardin. de Bustis in 4. p. serm. 12. quô tempore prior Bernardinus Paduæ pro concione ad populum exclamauit. *In animo & corpore sanctus* IOSEPH *in cælis gloriosus est:*

 con-

continuò ſuper caput eius auream crucem viſam eſſe. Deinde verò Gerſon Cancell. in ſerm. de Natiuit. B. V. ad Patres Concilij Conſtant. habito. ItémqueViguerius de Incarn. §. de Annunc. Dom. c. 20. Fonſeca in vita Chriſti c. 9. Gratian de ſancto IOSEPH. l. 5. tit. 5. Andr. de Soto l. 3. de ſancto IOSEPH. c. 33. Carthag. l. 18. Hom. vlt. Suarez Diſp. 8. ſ. 2. Salian. ad annum Mundi 4065. Barradius l. 6. c. 8. Paulus de Barry de S. IOSEPH. c. 8.

Nec dubium eſt, quin adhuc plures alij teſtes adfuturi ſint, ſi præſentes non ſuffecerint faſtidioſo Iudici. At hoc quis timeat; præcipuè, cum præiudicia ac præſumptiones omnes apertè pro IOSEPHO ſtent vtpote qui de Chriſto optimè meritus ſit, & ab ipſa ac Deipara ſummè adamatus. Alia quoque iudicia proximè adiungam, quæ Veritati huic noſtræ vt videri ab omnibus poſſint, lucem accenſura confido.

ELOGIVM LX.

IOSEPH

MARIÆ dilectiſſimæ coniugi glorioſus apparens.

AFfirmant reſurrexiſſe & apparuiſſe, Gerſon. in Serm. habito de Nat. B. V. in Conc. Conſtant. S. Bernardinus Serm. de S. IOSEPH. a. 3. Carthag. lib. 4. Hom. 3. Cornel. à Lap. in 1. Matth.

Matth. mihi fol. 48. Barrad. l. 6. cap. 8. Salian. ad an. Mundi 4065. & alij complures, quos breuitatis causâ omitto, producturus, cùm necesse fuerit.

Sed potestne, inquies, probari assertio hæc? Non posse ex Sacris Litteris, Concilijs, consensu SS. Patrum, Rationibus inde efficaciter deductis, velim, nolimue, tam diu concedere debeo, quamdiu eorum nihil vspiam reperitur. At rursum velim nolimue, si quod vult Vasq. alijque, inter Theologiæ locos poni potest accommodatus Scripturæ sensus; sique ponderis habent aliquid coniecturæ multò iam vsu Viris doctis probatæ, fateri cogor, imprimis verisimile esse, quod affirmatum esse initiò dixi. Sed tu, qui hæc legis, mihi credere noli, crede rationibus, & quidem non meis, sed illorum, sub quorum clypeo pro IOSEPHO pugno, qui eas primi protulerunt in conspectum hominum.

Igitur 1. Gerson & Salian. cit. referunt huc illa Pauli ad Hebr. 11. v. 35. *acceperunt mulieres de Resurrectione mortuos suos.* Quæ illustrari à me, nemo vtique prohibere poterit. Dico ergo, inter mulieres has, longè eminere MARIAM Virginem; *cuius pretium procul & de vltimis finibus.* Et subsumo; si quæ aliæ inferiores mulieres acceperunt de resurrectione mortuos suos, multò magis accepit ipsa mulierum omnium Regina MARIA suum mortuum. At est iste solùm IOSEPH, Vir eiusdem.

2. Ferè omnes citati; *multa,* inquiunt, *corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Et exeuntes de monu-*

monumentis post resurrectionem eius, venerunt in sanctam Ciuitatem. Vbi ego quidem per hanc ciuitatem, exemplô Doctissimorum Virorum, denuo intelligere possem prædictam Matrem Dei. Est enim & ipsa dicta pacis visio. Est fortitudinis nostræ Sion; *Saluator* (IESVS nempe) *ponetur in ea murus & antemurale*, vt Cornelius noster hic vult ex Isa. 26.v. 1. *Non ingredietur vrbem hanc* MARIAM Hostis infernalis, *nec mittet in eam sagittam* 4. Reg. 19. v. 32. *Et nomen ciuitatis ex illa die, Dominus ibidem.* Ezechiel. vlt.v. 35. Sed fastidiunt hæc aliqui, vt supra dixi, Theologi, solidioribus assueti alimentis. Quos vt reliqua considerent hortor.

3. Proinde, sic argumentor. Quia nihil magis post IESVM desiderare potuit, siue IOSEPH, vt MARIAM videret, siue MARIA vt videret IOSEPHVM, Nihil ergo magis petierunt. At credere, vt puto, Theologus potest, vel certè non prohibetur, id quod maximè MARIA & IOSEPH petunt & desiderant, præcipue obtinere. Nihil ergo obstat, quô minus hoc commune, & æquè gratum, ac iustum solatium vtrique concedatur.

4. Inter eas probationes, quas pro anticipatâ Resurrectione Matris Dei afferunt, est etiam hæc, quòd de eius corpore nullæ vspiam reliquiæ asseruentur. Cùm enim veræ Dei Ecclesiæ nihil carius sit hac eâdem Matre, verisimile non est, latere corpus eius potuisse tot eximios Amatores. At neque de IOSEPHO quidquam, nisi vacuum sepulchrum, infra

infra terram, vt magis declarabo Elogio ſequenti, non procul à ſepulchro Virginis inuenitur.

5. Nemo hôc ſanctorum, qui ſurrexerunt, beneficio dignior eſt, quàm IOSEPH, ſupra omnes bene meritus de IESV, & quod palmarium mihi videtur, præreptus ex vitâ eô tempore, quô vivendi cauſæ ardentiſſimæ erant; ipſis inquam, Evangelicæ doctrinæ primordijs. Quare ſi quis adhuc neget reſurrexiſſe IOSEPHVM & apparuiſſe MARIÆ penè audeo repetere illud. Adhuc & tu ſine intellectu es.

ELOGIVM LXI.

IOSEPH

Cum IESV aſcendens ad Gloriam cœleſtem.

IN primis tenent hanc ſententiam Auctores, proximè citati; illiſque nunc accedit Suarez Diſp. 8. in fine. Fierine autem poteſt, vt ea omnia principia, è quibus Elogij alicuius veritas emanat, denuo in conſpectum dentur? Non poſſe videtis, opinor omnes, quotquot videtis, diſtare à radicibus arbores, à ſcaturigine flumina, & Lumen à Sole. Si ergo non vbilibet omnia reperiantur, illa, quæ præcedunt & quæ ſequuntur, neceſſe erit præſentibus coniungi; nam meum hoc eſſe arbitror ne recoctâ crambe faſtidium pariam ſtomacho nouorum cupido.

Igitur nunc IOSEPHVS proponitur aſcendens cum IESV ad Gloriam cœleſtem, vindicias

calami mei postulans adversus eos, qui eum vel omnino resurrexisse vel certè ascendisse negant gloriosum in cœlum. At quæ potest esse pugna cum victis, prostratisque? illis, inquam, quibus nuper per testes & Rationes ommi exceptione maiores ostendi verissimè resurrexisse.

Vos igitur, qui gloriosum IOSEPHI ascensum tollitis, in certamen venite. Vnde obsecro iniecta vobis est hæc mens? Nam in IOSEPHVM amor vester etiam maiora decora persuadere posse videtur. Nimirum veritas ipsa iniecit amori vestro violentas manus. At quænam illa veritas? Veritas nempe Brigittæ revelata. Apud hanc enim l. 6. Revel. cap. 94. affirmat Mater Dei Sanctos, qui cum Christo resurrexêre, animas quidem in cœlum cum eodem transmisisse, corpora verò terræ reliquisse vt exspectent supremi iudicij diem. Et l. 7. c. 26. eadem, scias, inquit, quod nullum corpus humanum in cælo sit, nisi corpus gloriosum filij mei, & corpus meum. At huic tam contestatæ veritati quis non attemperet amoris sui æstum? Nihil ego sanè repugno, siquidem contestata sit. At negant ij omnes, qui nobiscum stant; & inter hos nominatim Cornel. à lapide in c. 27. Matth. vbi tamen Brigittam in medium adducit.

Recusant præterea Brigittæ adhibere fidem alijs in rebus Theologi non pauci; vt 1. quòd MARIA Virgo quindecim dies in sepulchro tenuerit l. 7. c. 26. 2. quòd non sit prævisa ab æternô sedere super omnes creaturas l. 7. c. 25. 3. quòd magnitudine doloris

doloris ex Passione Christi concepti à sensibus abducta fuerit l. 4. c. 70. 4. quòd IOSEPH fuerit senex Christô nascente. l. 7. c. 21. 5. quòd Gregorius animam Traiani ex infernô liberauerit. l. 5. c. 13. Non est ergo, quidquid huic sanctæ reuelatum est, eô sensu contestata Veritas, vt nemo illi iam audeat refragari.

Deinde verò cur non liceat & sanctæ opponere Sanctum alium, Bernardinum inquam Senensem; cuius Oratio (*in anima & corpore sanctus* IOSEPH *in cælis gloriosus est*) adhuc auribus meis insonat; cuius etiam manus crucem, quæ capiti sub eâ oratione imminere visa, oculis spectandam exhibent? At hoc si fas mihi est, enimuero extra periculum sumus, & immunes ab illa contestatæ veritatis impressione. Videtis ergo neque Nos ab opinione nostrâ, neque IOSEPHVM inde deijci à gloriosô suô statu.

Verùm absit à nobis, vt hoc tam graue vulnus celeberrimis Reuelationibus infligamus, præcipuè si necesse non sit. At neque hîc, neque alibi vspiam necesse est. Et quia allata exempla nonnihil urgere videbantur. Dicimus cum Duranto graui Theologo, ad 1. & 2. malè legisse alios, quod bene scriptum fuit; ad 3. malè inde spasmum siue conuulsionem neruorum colligi; ad 4. Senem ibi vocari, morum grauitate, ad 5. id defendi à Theologis multis, & recentissimè à Ioanne de Dicastillo Disp. 1. de Purg. Dubit. 7. fol. 903. Egóque ipse etiamnum hoc defendere paratus sum.

Iam

Iam verò mentem, & ad eas Revelationes, quæ nobis propius adversari videbantur, converto. Primáne aliquid de S. IOSEPHO pronunciat? Nihil sanè. Relinquit ergo liberum nobis. At indefinite loquitur? Loquitur quidem, sed sapientibus, qui norunt nullam regulam sine exceptione esse. Et ego causam aliorum sanctorum, præterquam IOSEPHI, hîc non propugno.

Ad alteram verò quod attinet, 1. opponere possum, vt dixi, sanctæ Brigittæ, sanctum Bernardinum. 2. Adhuc eâ allatâ perstat, in sententia mea, Cornel. in c. 27. Matth. 3. Non est tam certum, Revelationes sanctæ Brigittæ esse ritè impressas sicuti certum esse videtur, Revelationes eius esse veras. Etsi neque hoc sit omnibus certum & de Fide. Quid si ergo hîc quoque Lectio corrupta esset? 4. Suppositô, quòd opinio mea sit vera, itémque vera sit Revelatio, dici debet, sensum esse. Scias ibi nullum esse, &c. nisi corpus meum, hoc est, meum, ratione naturæ, & meum ratione matrimonij, in sensu ampliante. Sed tamen circa hoc libenter discam ab alijs.

ELOGIVM LXII.

IOSEPH

Aureola Virginum insignis.

NEc Aurea à Laurea, nec Aureola à Laureola, nisi nomine tenus, apud Theologos differt. Significant enim, coronam auream, siue lauream

ream omnibus Beatis communem, quæ ijs in Visione beatificâ imponitur; & minores quasdam coronas, seu rectiùs corollas, aliquibus tantùm Beatis debitas, quæ ijs propter singulares quasdam de suis olim hostibus victorias relatas dantur.

Patet autem hinc, nonnisi vnum esse Aureæ genus; tria verò Aureolarum. Sunt enim tres gravissimi hostes nostri, Caro, Mundus, & Diabolus. Dantur ergo totidem pugnæ, totidémq; victoriæ, ac Symbola earundem. At Carnem quidem Virgines; Mundum Martyres, Doctores Diabolum triumphant, suis singulis aureolis honorum insignes.

Vt verò de Virginibus dicendi initium fiat, dat illis, 1. Deus in Domo sua locum & nomen melius à filijs & filiabus, Isa. 56. v. 5. 2. Sequi agnum, quocunque ierit, & cantare canticum novum. Apoc. 14. v. 3. 3. Amiciri stolis albis. Apoc. 7. v. 13. 4. Vestiri linô mundô & candido; & 5. præcingi circa pectora Zonis aureis; quæ aliàs Angelis tribuuntur Apoc. 15. v. 6. Ac 6. esse sicut Angeli in cœlis sunt. Marc. 12. v. 25. Demum 7. lilijs in capite & manibus exornari; Sotus in 4. dist. 49. ex Augustin. serm. 1. de Omnib. SS.

Sed hinc, an aliquid ad nostrum quoque IOSEPHVM exornandũ, facit? Ne dubita; quidquid Aureolæ Virginum, siue pretij, siue odoris, siue formæ ac venustatis, inest, totum id debetur IOSEPHO, nisi fortè quis, fuisse Virginem, aut permansisse, neget. At ostendi iam supra. 1. IOSEPHVM primum Virginum coniugem fuisse. 2. Exemplô despon-

desponsatæ Virginis MARIÆ Virginitatem suam Deo voto consecrâsse. Nihilne ergo præter ea, quæ dicta sunt, superest dicendum? Supersunt sanè etiam hîc fragmentorum cophini aliquot, quos exhaurire ne nunc quidem possum.

Igitur 1. Sponsus & Sponsa, Vir ac mulier, communibus ornamentis circumdari debent. At IOSEPH & MARIA sunt sponsus & sponsa, vir & mulier. Atqui MARIA aureolam Virginitatis de facto meruit. Ergo & IOSEPH Isolan. 4.p. c.4. & alij. 2. Non est ille Custos Virginitatis alienæ, qui non est custos propriæ. At est IOSEPH testis simul, & custos Virginitatis MARIÆ. Est ergo etiam ipse custos propriæ. Brigitt. l. 5. Interrog. 12. & l. 6. c. 59. 3. Similis simili gaudet. At est MARIA, & quæcunque Mulier iuxta Dei voluntatem, desponsata, adiutorium simile Viro. Est ergo similis MARIA IOSEPHO. At Virgo non-Virgini similis esse non potest. Barry c. 8. 4. MARIA Virgo eos omnes qui se aspicerent ad Castitatis studium, extincto Concupiscentiæ fomite inflammavit. Bernardin. de Bust. p. 4. serm. 12. At nemo diutius, quàm IOSEPH, cum eâ vixit. 5. Eadem Virgo ex facie splendorem quendam diuinum, & radium decentissimum emisit, vt inde nihil nisi præclarum de eâ IOSEPH cogitare potuerit. Eckius in serm. de S. IOSEPH, ex quadam Glossa. Nullius ergo Virginitas securior fuit virginitate IOSEPHI, 6. IOSEPH meruit Virginitate suâ, vt fieret vir MARIÆ, & pater IESV. Augustin.

ſtin Serm. 24, de Natiuit. Dom. Ergo dubitari non poteſt, quin & aureolam meruerit. 7. Nihil repugnat meruiſſe aureolam. Si enim repugnaret, eſſet carentia fomitis. At hæc cauſa non eſt. Eſt enim duplex carentia, vna intrinſeca, qualis in Chriſto fuit; alia verò extrinſeca (quæ etiam in IOSEPH fuit) proveniens â gratiâ diuinæ protectionis alijſque auxilijs diuinis, quibus intellectus illuminabatur, & voluntas corroborabatur ad reſiſtendum extrinſecis tentationibus. Ergo nulla eſt cauſa cur repugnet. Eſt autem cauſa vt dictum eſt, propter quam hæc ipſi aureola concedatur, vt paulò antè, tum hîc, tum ſuperiùs, oſtenſum eſt. Hâc ergo IOSEPH eſt inſignitus à IESV Filio ſuo.

ELOGIVM LXIII.

IOSEPH

Aureola Doctorum conſpicuus.

QVòd aureolà Virginum Virginem IOSEPHVM inſigniverim, Auctore maximè Iſido. Iſolano in 4. p. cap. 4, factum eſt. At idem modò aureolam Doctorum porrigit imponendam Doctori magno IOSEPHO; quod vtique ego, qui vitam hactenus diſcendo docendóque exegi ſine morâ, & vt in proverbio dicitur, ambabus manibus exequi debeo.

Sed ante omnia inſpiciam aureolam hanc, vt quid mereri nobiſcum poſſint alij intelligant. Eſt eâ inprimis magnificus ille Aaronis & filiorum eius

eius à Deo præſcriptus ornatus;quem legere potes Exod. 28. v. 4. In quô eminere videtur Rationale iudicij, tum propter præſtantiam operis cum materia certantis, tum propter Symbolicam ſignificationem earum rerum, quæ Doctoribus ineſſe debent; *doctrinæ* nempe & *veritatis*, quas ibidem v. 30. Deus præcepit eidem Rationali inſcribi. De quibus optimè commentatus eſt Corn. à Lap. in cit. loc.

Adhæc verò Dan. 12. v. 3. quaſi compendiô, iſtius aureolæ elegantia exponitur. Nam, *qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti : & qui ad iuſtitiam erudiunt multos quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Nempe præmium labori reſpondeat, neceſſe eſt. At totus Doctorum Labor eſt, ſtellarum inſtar, lucere, & illuminare, Æquum igitur eſt, vt, quod erant myſtice, deinceps reipſâ eſſe perſeuerent,

At iam, quorúmnam, inquies, Doctorum Aureola hæc eſt? Affirmo eſſe eorum, qui quæ docent exemplô & opere, dirigunt ad praxin ſacram. Hoc eſt enim propriè ad iuſtitiam erudire. Imô perquam probabile videtur, etiam eos Doctoribus accenſendos, qui cum aliud non poſſint, etſi velint, favore ſuo Doctores complectuntur, conſilijs dirigunt, alimentis procurant, occaſionibus inſtruunt, monitis impellunt, precibus iuuant, ad hunc finem, vt illi immediatè doceant alios, quæ ad ſalutem ſunt. Per ſe enim feciſſe quis cenſetur, quod per alios fecit. Et ſequitur hoc ex communi Doctorum

rum admittentium ad hanc ſuam Laureolam etiam Prælatos Apoſtolicarum Religionum, qui tamen aliter, quam dictô modô, non docent.

Neque tamen hôc, licet probabili, priuilegiô, opus habet etiam IOSEPHVS noſter, quem ego paulo antè Doctorem magnum appellaui. Cuius cauſæ ſunt illæ ipſæ, quas Iſolanus attulit, & ego hîc redhibeo cultiores.

Nimirum 1. *Qui fecerit, & docuerit* (ſubintellige, faciendo) hic magnus, (nempe Doctor) *vocabitur in regno cœlorum* Matth. 5. v. 20. At fecit, & faciendo docuit IOSEPH. Eſt ergo magnus Doctor. At nemo magis faciendo docuit. Eſt ergo etiam Doctor maximus. 2. Doctores aureolà digni, illuminantur à Deo, & Angelis, ſuô tempore loquuntur, & ad Deum verum agnoſcendum, quoſcunque conuertere conantur. At nonne IOSEPH illuminatus eſt à Deo & Angelis? Nonne paſtoribus æquè ac Magis locutus eſt magnalia Dei? Nonne Zachariæ, dum in Ægyptum proficiſceretur, imminentem Herodis tyrannidem detexit, admonens vt cautè & fortiter gereret ſe? Caſtr. cap. 10. Nonne ipſis Ægyptijs annunciauit, impletum eſſe vaticinium Ieremiæ olim apud ipſos exulantis, cuius cauſa Epiphanius apud Caniſ. l. 2. c. 7. fol. 169. teſtatur, Sacerdotes id loci Virginem in lecto; iuxtàque in præſepi infantem poſuiſſe & adorâſſe? Nonne cùm Nazareth revertiſſet ciuibus ſuis ac cognatis, velut præveniens Ioannem

N Ba-

Baptistam, suô etiam digitô commonstrauit IESVM & MARIAM matrem eius, & quinam essent, quorúmue bono, edocuit? Est ergo IOSEPH dignus, Doctoris tum aureolâ, tum voce. At iam & priuilegium ante insinuatum nemo magis meruit, quàm IOSEPH. Sed ego reliqua, quia opus esse non puto, tuæ malo sapientiæ relinquere consideranda, contentus caussis duabus ex Isolano allatis, cuius fragmentum (nam Auctorem ipsum non habeo) apud Carthag. to. 4. l. 18. Hom. vlt. fol. mihi. 521. legere potes.

ELOGIVM LXIIII.

IOSEPH

Aureola Martyrum ornatus.

AVreola Martyrum meritò duabus alijs aureolis anteponitur ab Augustin. lib. de Virginit. c. 46. in fin. tom. 10. Ratio est, quia plus est vitam pro Fidei caussâ, quàm carnem, & vsum vitæ, offerre Deo.

Possumne ergo calamô istius Aureolæ excellentiam assequi? Tentare iuuat ex Doctrina revelata, quæ 1. Apoc. 2. v. 17. Martyribus dat *manna absconditum*, Et 2. *calculum candidum*. Et 3. *in calculô nomen scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit*. Apoc. 7. v. 9. Et 4, *stare ante thronum suum stolis albis, & palmis in manibus suis*. Et 5. cit. cap. v. 15. *seruire Deo die ac nocte in templo eius &c*. Et 6. v. 15. *ab Agno, qui in*

qui in medio throni est, regi, deducíque ad vitæ fontes aquarum &c.

Hac verô Aureolâ denuo Isolanus IOSEPHVM exornat; consentítque Isolano Carthag. lib. 4. Hom. 2. & lib. 18. in fine sed repugnant plures alij, propterea, quod ad Martyrij gloriam violentia mortis reipsâ toleratæ necessaria sit. At non est, inquiunt, IOSEPH vllam mortis violentiam passus. Vtros ergo sequar in hac lite? Equidem Isolano & Carthagenæ citatis accedam.

Et Rationes sunt 1. Quia hæc ipsorum & mea opinio SS. Patrum est; puta Hieronymi serm. de Assumpt. Deiparæ, quàm Martyrem vocat, quamvis in pace vitam finierit; Tertulliani c. 8. Scorpiaci, vbi tres pueros Martyrium subijsse dicit sine Martyriô perfectum; Gregorij lib. 3. Dialog. qui; incunctanter, inquit, colligitur, esse & sine aperta passione Martyrium. 2. Quia idem sentiunt graves Theologi, & inter hos Suarez to. 3. in 3. p. admittens, casu, quô quis præservatur à morte aliàs perferenda talem deinceps in gratia confirmandum esse, ne excidere possit brauiô, quô nullâ suâ culpâ priuatus est. Less. de Fortitudine. Item Benzonius super Magnificat, cap. 22. dub. 8. Viguerrius to. 3. Disp. 29. S. 3. in fin. Tanner. in 4. Disp. 4. q. 3. Henriq. l. ult. cap. vlt. 3. Quia Ecclesia ipsa agnoscit colitque vt Martyres, quos tamen tranquilla morte decessisse palàm in Martyrologio fatetur. Sic namque se habent Tecla, Felix, Hyginius, vt dè alijs taceam. Ex ijs autem, quos attuli,

N 2 postre-

postremus, ne quidem miraculô, opus habuit, vt mortem euaderet: vt proinde S. Thom. sat caussæ habuerit, adhuc laxius loquendi. in 4. dist. 95. a. 5. &. 2.2. q. 124. a. 5. quàm nobis hîc necessarium sit. Ego enim hoc vno fundamento contentus iam sum, quòd ad hoc vt IOSEPHVS aureolâ Martyrum donetur, sufficiat, eum esse tam grauia passum, quæ si Deus non confirmâsset viri pectus, mortem causâ Fidei, illatura fuerint. At hæc illum reipsâ esse passum, partim ex dictis patet, partim ex dicendis constabit.

Ac 1. passus est IOSEPH causâ IESV Filij sui, quæ causa à Fide separari nullo modo potest. 2. Passus est, à ciuitate, domibus, ac diuersorio Bethlehem excludi se, reijcique ad locum feris tantùm destinatum, absque omni auxilio humano, in summâ rerum necessariarum inopiâ, &c. 3. Passus est, ab Herode omnium uitæ imminente, de nocte, è strato, somnóque in exilium longissimum & septennale ad Idololatras Aegyptios se mitti. Cuius ærumnas alibi expono. Iam verò illud solum addendum est, quòd in eius exilij itinere, etsi aliâs quindecim diebus confici posset recta incedentibus, viâ, ipsi nonnisi duorum mensium spatio emensi fuerint, provt Bonau. cap. 12. vitæ Christi retulit; quem animus devotus sine lacrimis vix perleget. 4. Passus est, cor suum confodi doloris gladio, quoties confossa est anima MARIÆ, Luc. 2. v. 35. At est MARIA propterea Hieronymo cit. & Anselmo lib. de excell. Virg. cap. 5. Martyr. Est ergo etiam

iam IOSEPH Martyr, & Martyrum aureolâ æquè, ac alijs, condecorandus. Vide etiam Nierenberg. de Orig. S. Script. lib. 10 cap. 34. & in meo opusc. de Priuilegijs Morient. Lucernæ impresso, Priuil. XVIII. fol, 17.

ELOGIVM LXV.

IOSEPH

Similis Ioseph Patriarchæ.

SImilitudo, Philosophis est inter ea, quorum qualitas est vna. Quam inter hos duos IOSEPHOS adeò non quæro, vt etiam vnitatem essentialem ac obiectiuam, quæ omnibus hominibus ante omnem Intellectus operationem communis est, hîc missam faciam. Similitudinem ergo figuræ ac figurati solam volo. Hæc mihi adeò numeris omnibus inter IOSEPHVM hunc nostrum, & inter illum primum Patriarcham absoluta videtur, vt si quis vnius decora recenseat, simul descripsisse laudes alterius dici possit. Idque iam Bernardus in Hom. 2. de B. Virg. Canisius de eadem l. 2. cap. 13. & Carthag. l. 4. Hom. 12. & 13. agnouerunt. Ex quibus proinde nunc ea tantùm, quæ Patriarchæ sunt, referam. Tu postea per temetipsum facilè huic nostro IOSEPHO eadem accommodare poteris.

Igitur Ioseph Patriarcha 1. filius fuit Iacob. 2. Accepit nomen sibi apprimè conueniens; quod


Elog. 7. interpretati sumus. 3. Plus alijs fratribus propter eximiam Virtutem suam à Patre dilectus fuit; ideóque eorum inuidiam grauissimâ incurrit. 4. Diuina somnia complura habuit, cognouîtque esse diuina, 5. In Ægypto diu exulauit, non procul Heliopoli. 6. Vir fuit in cunctis prosperè agens, cum quo Dominus esset, omnia, quæ gereret, dirigens. 7. Castitatem maximopere semper coluit, paratus eius retinendæ causâ etiam mortem perpeti. 8. Cognomen iusti sibi Virtutibus suis comparauit, prout videre est sapient. 10. v. 13. 9 In Martyrem evasit tolerantia acerbissimarum ærumnarum, licet in pace & gloriâ vitam clauserit. Ambros. apud Corn. à Lap. c. 39. in Gen. 10. Fuit nutritius Regis, & quasi Pater Pharaonis, & Dominus vniversæ terræ domûs eius, ac princeps in omni terra Ægypti. Gen. 45. v. 8. Itémque secundus à Rege omnium genibus venerandus, tanquam Saluator Mundi, absque cuius imperio nemo manum pedémue mouere deberet, Gen. 41. v 43. & 45.

11. Triginta annorum cùm esset, duxit Aseneth, hoc est, ignem distillantem, filiam Putiphar Sacerdotis, optimè educatam, & inclusam in arce paternâ Virginem, vt Vincentius in suo spec. Hist. & quidem cum sex auri millionibus, vt ex Sixto Sen. l. 2. Gratian. 1. l. c. 2. docet. 12. Ex ea suscepit Manassen & Ephraim, quibus obliuio laborum perpetua significatur Gen. 41. v. 51. & 52. 13. Mirâ benignitate amplexus est fratres suos de se

pessimè

pessimè meritos. Toto c. 45. 14. Iisdem tradidit terram Gessen, optimum Ægypti locum, ac multis postea miraculis illustrem. Gen. Cap. 47. v. 6. & Exod. 8. v. 22. 15. Iussit, fratres suos dicere Pharaoni. *Pastores ovium sumus servi tui, & nos, & patres nostri.* Gen. 47. v. 3. 16. Vniversa horrea àperuit ad propulsandam totius orbis famem. Gen. 41. v. 54. & c. 47. v. 13. 17. Meruit benedici his sanctissimis verbis. *Benedictio illius, qui apparuit in rubo, veniat super caput Ioseph, & super verticem Nazaraei.* Deuteron. 33 v. 16. itémque alijs Gen. 49. v. 22. 18. Etiam filijs benedictionem impetrauit à patre Crucis formam manibus decussatim positis exprimente Gen. 48. & adorante fastigium virgæ eius ad Hebr. 11. v. 21. 19. Vaticinijs plurimis confirmatus est ad imminentes persecutiones animosè perferendas Gen. 49. 20. Terram promissionis desiderauit ex animo; itàque sanctam vitam, fine non minus sancto, clausit. Gen. 50. in fin.

Iam autem obsecro te, quisquis hæc legis, annon omnia & singula ad amussim quadrant etiam IOSEPHO nostro? Docerem sanè te, si ignorare crederem. At hoc quî credam? Si tamen audire aliquid enucleatius velis, ad id, quod proximè dicetur, oculos transfer.



ELOGIVM LXVI.

IOSEPH

Præſtantior Ioſephô Patriarchâ.

ABſit, vt ſimilitudo figuræ cum figurato inferat æqualitatem morum. Quàm enim multæ ſunt figuræ in Veteri Lege Chriſti naſcituri ex Virgine! At eſt Chriſtus haud dubiè maior omnibus figuris ſuis. Poteſt ergo etiam IOSEPH etſi Ioſepho Patriarchæ, vt dictum eſt, ſimillimus, eſſe maior & præſtantior eôdem Ioſepho Patriarchà. Et hoc eſt, quod hîc præcipuê probatum eo, declaraturus ſimul ea, quæ proximè obſcuriùs dicta, quàm ſinguli velint, videri poſſunt.

I. Nempe IOSEPH noſter Patriarcha eſt; tum quia ſuſcepit ex coniuge IESVM Patrem omnium ritè credentium; tum quia ex quo cæpit huius eſſe Pater, ſimul eſſe cæpit Pater generis humani vniuerſi, tum quia ſub Paternitatem ſuam paulatim trahit poſt ſe Cõgregationes omnes quotquot ſub MARIÆ Virginis titulo à PP. Societatis IESV toto paſſim orbe eriguntur, tum denique, quia plurium Religioſorũ Ordinum filij, vt de alijs, qui ſuo arbitrio ſeruiunt Deo, nil dicam, palàm ſe filios IOSEPHI profitentur. 2. Ita IOSEPH gratiâ & Virtutibus creuit, vt nomini ſuo fuerit admodum conformis; 3. Idem amorem Patris æterni meruit, vt nemo magis; quemadmodum Elog. 84. & 85 oſtendam. 4. Idem Somni tempore etiam

tiam Angelorum alloquio fruitus eſt. Et 5. Eodem prope loco exulauit, diutiùs tamen & duriùs longè. 6. Cum eo Dominus immediatè fuit, exercens prouidentiam ſuam. 7. Nihil ipſo Virgineum erat magis. Et 8. iuſtius nihil. Quem etiam 9. Aureolâ Martyrum cinxit non tam calamus meus, quàm ſuamet inuicta patientia. An non autem 10. idem fuit nutritius IESV Regis cæleſtis omnia nutrientis? Annon eiusdem fuit Pater, & hòc ipſo Dominus, ac Princeps omnium, & non tantùm Saluator Mundi, ſed Saluator Saluatoris Mundi, eundem huc illúcque transferendo, vt ſeruari illæſus ac integer poſſet deſtinatæ morti? 11. Ætatem quoque Patriarchæ idem exceſſit, deſponſatus Virgini pretioſiſſimæ in templo Salomonis à Sacerdotibus incluſę, quæ non tantùm ignem amoris diuini in huius ſui Sponſi cor diſtillauit, ſed incendij inſtar effudit. 12. Eiusdem filij Manaſſes & Ephraim nos ſumus, qui credimus IESV, & numero & virtute maiores. 13. Ille nos omnes in IESV, & per, ac propter IESVM, ſuauiſſimè amplexatur, etſi haud dubiè cõplures noſtrûm peſsimè meriti ſint. Et tamen tradit 14. Singulis terram Geſſen, quæ eſt Eccleſia, optimo loco ſita, veréque mirabilis. Quam illi præcipuè excolunt 15. qui ſe Paſtores eſſe profitentur. His enimuerò 16. aperit horrea Sacramentorum, & ex domo Bethlehem profert Panem cœli, atque Angelorum, licet aliàs idem hic panis multis in locis haberi non poſſit. *Petierunt paruuli panem, & non erat, qui frangeret*

 illis

illis. Thren. Ierem. 4. v. 4. Idem etiam 17. fuit cuius Benedictio originem traxit ex immaculatâ Virgine, rubo verè incombusto, procedens inde super caput ipsius & verticem IESV Nazaræi maximi. Sed 18. deriuari benedictio hæc in alios non potuit, nisi per crucem eiusdem; cuius fastigium per fidem adorari debet. Vaticinia autem 19. vbi plura sunt, quàm in hac noua lege? Vbi 20. Terra promissionis vitæ æternæ non tantùm à IOSEPHO, sed nobis omnibus, ardentissimis studijs expetitur. At quantò beatior est ista vita, vitæque promissio? quantò etiam mors securior ac suauior, quàm mors Patriarchæ Ioseph, ac promissionis terra ab ipso exoptata? Iure igitur dicere possum, IOSEPHVM nostrum esse Ioseph Patriarchâ præstantiorem, Suà, Virginis, IESV, & nostrâ causâ.

ELOGIVM LXVII.

IOSEPH

Iosephos omnes Euangelicos antegressus.

ECkius, quem in ea editione, quam præ manibus habemus, appellant Galli in fronte libri, *vnicum prope priore sæculô Catholicæ Fidei assertorem, hæreticorúmque omnium impugnatorem*, initio serm. de S. IOSEPH ait, si vniversam reuoluamus scripturam, singulorum Iosephorum laudes huic vni IOSEPHO tribui decenter posse. Et ille quidem quatuor in lucem dedit. Sed quoniam inter eos etiam ipse, de quo agitur, est, licebit vtique ex Euan-

Euangelica Historia illi etiam substituere, quocum is minori verecundia comparari possit.

Est autem primus idem de quo proxime egi, Patriarcha *Ioseph* Cuius laudes Ecclesiasticus 49. v. 16. et. 17. complectens, *nemo* inquit, *natus est in terra vt Ioseph, qui natus est homo, princeps fratrum, firmamentum Gentis, rector fratrum, stabilimentum populi: & ossa ipsius visitata sunt, & post mortem prophetaverunt*. Quæ verba equidem lubens volensque pluribus exponere cuperem; Verum nec tempus nec amor me sinit abiungere tantisper institutæ Orationis cursum. Dic enim, amabo, quis inter eos, qui consueto naturæ ordine nati de mulieribus sunt, ita natus est vt IOSEPH noster? Nascuntur alij hominibus potius similes, quàm homines. At noster dum natus est, iam homo fuit, rationis compos, plenus gratiâ, sine fomite & peccato instar hominis primi, priusquam Infernali serpenti auscultaret. In quo quæ primò dixi, hîc quoque eo sensu intelligi volo.

Cæterum quia reliqua Eccles. verba clariora sunt, quàm vt interpretis face habeant opus, transeo potius ad *Iosephum* alterum; ab Arimathiâ cuius festum 17. Martij agitur, nobilem centurionem, virum bonum ac iustum, testem veritatis publicum, exspectantem Regnum Dei, qui audacter à Pilato Corpus IESV petijt, obtentûmque deposuit à cruce, ac Syndone involutum intulit monumento suo, recèns in petra exciso, advolvens ad ostium eius prægrandem lapidem. In quo, quod desideret

ſideret aliquis nihil; quod verò laudet, plurimum ſanè eſt. At non eſt aliquid, quo noſter IOSEPHVS minor ſit? Ille enim, quæ præſtitit officia, mortuo præſtitit; & vnico die paucíſque horis; ac ſine grauiore damnò, damníue periculo. At hic noſter nondum integrè natum, eiuſque coniugem accepit, & operam poſtea perdifficilem inter innumeras ærumnas, ac pericula quauis morte acerbiora, per annos non pauciores triginta, conſtanter impendit.

Huic porrò tertius ſuccedit *Ioſephus*, ignotus ille quidem vulgò, ſed prolatus in lucem à Baronio in Notis Romani Martyrologij ad diem 20. Martij, quo ipſum inter martyres Eccleſia celebrat vnà cum Victore fratre ſuo, ac matre Photiniâ ſamaritanâ muliere, quæ olim IESV dixit, Ioan. 4. v. 15. *Domine da mihi aquam*, accepítque, illo mortis genere defuncta, quo ſine diuerticulo aſcenditur ad Cælum. Hæc aqua verò quam longe vberior inundauit IOSEPHVM noſtrum? ſi enim dulcius ex ipſo fonte bibuntur aquæ, en ipſe fons perennis IESVS immergit ſe in labia, & genas, & manus ac pectus IOSEPHI Patris ſui. Totus adeò huius eſt, & eſſe vult, vt iam ne quidem deſiderij locus eſſe poſsit.

Demum quartò loco *Ioſeph* ille adeſt Alphæi & Mariæ Cleophæ filius, frater Simeonis, & Iudæ & Iacobi minoris, quem Ioſephum dixi ab Eccleſia coli 20. Iulij; quemque, Barſabam hoc eſt *filium converſionis* & *iuſtum*, compellant acta. c. 1. v.

23.

23. Hic quidem inter discipulos IESV eo prouectus est famâ virtutis, vt apostolatu dignus videretur. Verum non siuit Spiritus sanctus vlterius progredi iudicium Apostolorum ne hoc insuper addito IOSEPHI nomine alterius nostri tum dignitatem tum sanctitatem aliquâ ex parte obscurarent. Igitur etiamnum hic noster IOSEPH super alios omnes facile eminet, tam charus MARIÆ Virgini, vt eius memoria Hermano Steinfeldensi Monacho Præmonstratensi imponeret idem IOSEPHI nomen, ac deinceps, ceu sponsum, alterumque IOSEPHVM haberet. De quo Surium legito ad 7. Aprilis.

ELOGIVM LXVIII.

IOSEPH

Maior sanctis Ioachimo & Anna

CAsparus Tausch de SS. Matre Dolorosa l. 3. prax. 16. §. 2. *Inter amatores* inquit, *B. Virginis primum locum, videntur obtinere debere sanctissimi parentes eius, Ioachim & Anna.* Et rationem dat, *quia genuêre, atque educauêre, diligentia & affectu maximo,* MARIAM *filiam suam; eidem imposuere designatum à spiritu sancto nomen; vitam duxêre omni ex parte sanctissimam, eamque etiam à peccato veniali immunem, imo & originali, priusquam nascerentur, celeriter exemptam.*

Sub-

Subinde verò in particulari præfert eòs etiam S. Ioanni Baptistæ, & Apostolis 1. quod plus debeant IESVS & MARIA parentibus. 2. quod ad vnionem Christi propius isti concurrant, 3. Denique quod conversatione eiusdem Christi ac MARIÆ diutissime fruiti sint. Cùm autem vlterius ad S. IOSEPHVM gradum faceret; fortasse inquit, *excellentiâ sanctitatis parentibus B. Virginis aut non cessit, aut eos etiam excessit, de hoc enim aliqui disputant. Ego nihil definio* Hæc ille, quæ mihi nunc ansam præbent, iuxta scientiæ, quam profiteor, principia, quæstionem indecisam terminandi in fauorem IOSEPHI nostri.

Dico igitur 1. omnia verisimilia esse quæ docuit prædictus Pater, etsi auctoritate & testimonijs veterum (vt idem Tauschius ait) confirmari non possint: sufficit enim prudens iudicium ac discursus à minori ad maius deductus in ijs rebus, in quibus nihil statuitur de Fide, aut sanctis patribus, at nihil hic statuitur tale sed solum quid deceat, quidue probabiliter factum sit asseritur, decet autem haud dubiè erga eos præcipue liberalem esse Christum, quos pro parentibus habere debet. Atqui Aui, seu parentes matris vt dicitur L. 120. ff. de Verb. signif. in ijs quæ benigne accipienda sunt & clementi interpretatione adiuuanda, patris nomine & priuilegio intelliguntur.

Dico 2. Quædam adhuc non minus gloriosa adijci prædictis posse. Nam 1. soli inter omnes parentes, & quidem vt Galatin. l. 7. c. 8. ait, sine vla et-

la etiam licita libidine concepêre filiam, etiam à debito proximo contrahendi peccatum originale præseruatam â Christo, illisque gratijs exornatam, vt solô Deo sit minor, minúsque potens; ita nunc passim Theologi 2. Soli geminâ reuelatione ab Angelis admoniti sunt de futuro conceptu præmemoratæ suæ filiæ, eiúsque incomprehensibili dignitate, qua super omnes mulieres benedicenda esset. Niceph. l. 1. c. 7. 3. Soli rem præstantissimam Deo, MARIAM inquam, devouerunt, & obtulerunt iure perpetuò Greg. Nyss. in Orat. de Nat. Christi.

Dico 3. Nihilominus IOSEPHVM his ipsis tam sanctis MARIÆ parentibus Auisque IESV maiorem esse, cuius rationes sunt illæ ipsæ, quibus S. Thom. 2.2. q. 26. explicat Charitatis ordinem. scilicet quia maior est, qui est coniunctior Christo. At est IOSEPHVS coniunctior Christo, quam SS. Ioachim & Anna. Suarez Disp. 8. s. 1. sunt enim hi coniuncti solum mediatè, ille autem immediatè. 2. quia gratia naturam non destruit, sed perficit. At est Pater maior alijs in animo Filij per naturam, Verisimile ergo est, etiam maiorem esse alijs per gratiam. 3. quia eò maior quis est, quô plures experitur affectus amoris. At est IOSEPHVS longè plures expertus, quàm parentes MARIÆ: Ipse enim à IESV, quamdiu vixit, per annos admodum 30. nunquam auulsus est. Ipse inter IESV & MARIÆ manus vitam atque oculos clausit. Ipse corpus gloriosum primus inter homines post Christum cœlo intulit. At nihil horum contigit parenti-

rentibus MARIÆ. 4. Quia IOSEPHVS, quidquid est Patris, habuit, vnâ carnali generatione excepta, At patrem, vt ait cit. Doctor præcipuè amare filius debet. Fuit ergò Charissimus IESV IOSEPHVS, Atqui eò maior quis est, quô est Charior IESV. Fuit ergo idem maximus.

ELOGIVM LXIX.

IOSEPH

Maior sancto Ioanne Baptista.

DE Fide est, inter natos mulierum non surrexisse maiorem Ioanne Baptista. At non est de Fide, neminem quovis modo maiorem surrexisse; sed potius de Fide est, eum qui minor est in regnô cælorum, esse maiorem illo. Vti enim prius affirmat Deus apud Matth, 11. v. 11' ita posterius idem eô ipso loco affirmat. Est igitur ante omnia inquirendum, quô sensu non surrexerit Ioanne Baptistâ maior.

Vbi meas interpretationes, quas accepi, affero candidè. 1. est, non surrexisse maiorem quoad nos hoc est, quoad hominum venerationem, vsque ad Christi adventum Bern. de Bust, serm. 12. 2. Non surrexisse Prophetam maiorem. Lucas enim c. 7. v. 27. *Non surrexit*, inquit, *maior Propheta* S. Augustin. l. vet. & no. test. q. 26. 3. Non surrexisse maiorem, austeritate vitæ, quam ab infantia sua duxit. Glossa. Possunt ergo alij alio aliquo sensu

sensu dici maiores illo. Talis autem est 1. Christus. Estque 2. MARIA Mater eius, quod vtique Catholici omnes fatentur. 3. IOSEPH quoque iisdem addi potest, & de factô additur à Gerson. Bernardino de Bustis, Cartag. l. 4. hom. 8. Cornel. in c. 1. Matth. Suarez 3. p. q. 29. Disp. 8. s. 1. Barry cap. 8. & alijs.

Hoc autem non ignoro, mirabile, & fortè etiam incredibile, videbitur multis, qui cum de IOSEPHO vix quidquam sciant, vicissim tamen tot ingentia decora proferunt de Ioanne Baptista, vt non solum præferri, sed ne comparari quidem cum hoc posse videatur. Neque ea decora hic imminutum eo. Sed potius cum fœnore iustissimarum laudum, in publicam lucem auctiora atque ornatiora produco. Audi enim, oro te, in primis Petrum Chrysologum in serm. 27. Hic, *Ioannes*, inquit, *est schola virtutum; magisterium vitæ, sanctitatis forma, norma iustitiæ, virginitatis speculum, pœnitentiæ via, peccatorum venia, fidei disciplina: Ioannes maior homine, par Angelis Legis summa, Euangelij sanctio, Apostolorum vox, Silentium Prophetarum, Lucerna mundi, præco Iudicis, præcursor Christi, metator Domini, Dei testis, totius medius Trinitatis.*

Simul verò & Cotonum lege, qui dum Medit. 3. vnam, en! Ioannis Natiuitatem considerat recenset priuilegia 23. quæ id temporis consecutus est, & ex ipsa Scriptura. S. erui possunt. Cornelius quoque supra cit. vide sis, quam præclarè loquatur; dum ait: *Ioannes fuit quasi continuum miraculum*

culum in conceptione, in vtero, in natiuitate, in vita angelicâ. Probatque postea quod dixit.

Sed hæc mihi iusto longiora sunt, vt perueniam ad IOSEPHVM; quem vti concedo minorem esse splendore vocationis, & eorum quæ magis extrinseca sunt, persevero tamen dicere, maiorem esse sanctitate, quàm sit Ioannes Baptista nunquam satis laudandus.

Rationes sunt 1. quia qui Dignitate sanctitatē requirente maior est, maior est ipsâ sanctitate. At est IOSEPHVS maior Dignitate, quam sit pręcursoris Dignitas, eàque IOSEPHI Dignitas requirit Sanctitatem. Ergo est maior Sanctitate, quàm sit Sanctitas Ioánis Baptistæ. Minor probatur; quia Dignitas IOSEPHI est paternitas, & cōiugiū cum sanctissimis Personis, Dei Filiô & Matre Dei; & vtraq; hæc dignitas requirit sanctitatē cum proportione ad se.

2. Quia media sanctitatis adipiscendæ longè plura habuit IOSEPHVS, quàm Ioannes Baptista. At nullô ex capite colligi potest, quod ijs medijs non sit vsus IOSEPHVS. Ergo. Maior videtur euidens; quia IESV & MARIÆ præsentiâ, sapientiâ, amore, exemplis, diutissimè fruitus est.

3. Quia IOSEPHVS dici potest σωτὴρ siue saluator Ioannis Baptistæ. Veri simile ergo est quòd ipsemet Ioannes Baptista eum, vt maiorem se, coluerit. Antecedens probatur auctoritate Christoph. de Castro l. 10. affirmantis, ab ipso, dum per Hebron in Ægyptum exul abiret, parentes Ioannis Bapti-

Baptistæ admonitos esse de periculo ab Herode imminente.

ELOGIVM LXX.

IOSEPH

Maior sanctis Apostolis.

SI IOSEPHVS Maior est Apostolis admirari nemo debet, Deum ne nomen quidem IOSEPHI permisisse inseri Apostolorum albo. Atqui maiorẽ esse, contendũt, Suarez in q. 29. Disp. 8 .s. 1. Isolanus p. 4. c. 18. Carthag. l. 18. Hom. vlt. & l. 4. Hom. 8. Laudare igitur potius quis debet providẽtiam Dei, cuius nutu Barnabas Act. 4. primarium illud IOSEPHI nomẽ vltro deposuit, ascititiô Barnabæ contentus, itémque Act. 1. Ioseph, qui iustus & Barsabas cognominabatur, tametsi primo loco votísque omnium designaretur, ad Apostolicæ dignitatis apicem non potuit ascendere. Nempe satis esse Iosephis debet, habere vnum aliquem Cognominem ipsis Apostolis maiorem. At, vt vides, habẽt aliquem, hunc scilicet IOSEPHVM pro maiore agnitum à doctissimis viris.

Quorum rationes aut sunt, aut esse possunt. 1. quia IOSEPH, Pater IESV à MARIA Coniuge Virgineâ, appellatus est, fuitque reipsa decem Paternitatum modis, vt supra declaratum est. Atqui Apostoli tantùm sunt Amici eius. 2. IOSEPH ministerium obiuit, proximè coniunctum

cum persona verbi. Fuit ergo primi ordinis. 3. Inter virum & vxorem debet esse proportio dignitatis. Atqui dignitas vxoris MARIÆ longè excedit dignitatem Apostolorum; Ergo etiam dignitas IOSEPHI est Apostolicâ maior. 4. IOSEPH vitæ genus secutus est aptissimum ad exercendas perfectissimè actiones quarumcunque virtutum ac præcipuè charitatis, correspondentes vtrique vitæ, tum actiuæ, tum contemplatiuæ; prout egregiè demonstrat cit. Suarez, facilèque colligitur ex comparatione eorum, qui cum millesimam partem huiusmodi occasionum conversandi cum IESV & MARIA non haberent, evasere tamen ad supremum fastigium sanctitatis. 5. IOSEPH ex perfectissimâ cognitione & amore IESV iugiter operatus est. Fuit enim copiosissimè adiutus, septem donis Spiritus S. vt inductione ostendit Gratian. l. 3. c. 4. probâtque ex eô, quia ipse unus Magistros, Duces Spirituales, Testes, Adiutores, Dominos habuit IESVM MARIAM, & Angelos. Inde ergo comparavit sibi sapientiam, intellectum, consilium, scientiam, fortitudinem, mansuetudinem, & timorem omnibus majorem, solâ Virgine exceptâ. 6. IOSEPHI proprietates morales præstantiores sunt Apostolorum proprietatibus moralibus. Ergo & sanctitas ejus quæ radix & quasi natura illarum est, est major sanctitate Apostolorum. Antecedens probo, quia ut Isolanus ait, cit. c. 18, Quatuor sunt proprietates Apostolicæ dignitatis: Annunciatio Evangelij; *Euntes prædicate Evangelium omni Creaturæ.*

Illum-

Illuminatio; *Vos estis lux mundi*; Reconciliatio; *Quorum remiseritis peccata*: Et per Spiritum S. locutio; *Non enim vos estis qui loquimini.* Atqui proprietates IOSEPHI sunt; Desponsatio Reginæ cœlorum: Nominatio patris Regis Angelorum; Defensio Messiæ promissi in lege; ac denique educatio Salvatoris omnium, suntque proprietates istæ præstantiores illis, illæ enim à Christo, sub Christo, & propter Christum; istæ autem super Christum, ad Christum, & propter Christum. Quia tamen obiiciuntur aliqua, adversum hæc, Nota, IOSEPHVM spectare ad ordinem Vnionis Hypostaticæ, Apostolos autem ad ordinem gratiæ gratum facientis. Atqui duo isti ordines inter se diversi sunt; estque uterque maximus; primus scilicet absolutè; posterior respectu Ecclesiæ, cuius primarii pastores Apostoli sunt. At est ordo prior verè prior, dicerêque possumus; quod est infimum supremi plus est quàm supremum infimi. Est autem IOSEPH infimum supremi, sive hypostatici ordinis, ergo plus est quàm supremum infimi, sive Apostolus quiscunque. Tandem vero nequaquam difficile probatu est, etiam formaliter IOSEPHVM proprietates Apostolorũ omnes statûmque, & vocationis genus expressisse. Sed nunc ad alia calamus properat maiora dictis. Tu interim per te ipsum, quæ dixi, etiam tacente me, siquidem velis, assequi poteris.



ELOGIVM LXXI.

IOSEPH

Major Sanctis Angelis.

POstquam MARIA Angelorum Regina esse cœpit, IOSEPH, vir eius, non potest non etiam ipse Angelorum esse Rex. Si autem Rex est, utique maior est iis, quorum est Rex. Maior igitur Angelis est, quorum Rex, idem, hoc ipsô, est, quia vir est Reginę eorundē. At anne, inquies, IOSEPHVM, uxoris tantum dignitas, an, sua etiam Regem creavit? Ego hîc suæ assentior. Est enim illustrius longè, mereri, quam accipere honores. Sic ergo pro IOSEPHO argumentari lubet. Is demum meretur maximè Rex esse Angelorum, qui magnitudine ac varietate virtutum simillimus est Angelis, & unus decora omnium ac singulorum universa complexus est. At hic est ipsissimus IOSEPHVS noster, ut affirmant Carthag. lib. 4. Hom. 9. Clisorius in vita S. IOSEPHI, mihi fol. 109. Gratianus lib. 4. cap. 1. Palma IOSEPH. fol. 270. Meretur ergo IOSEPHVS maximè, Rex esse Angelorum, utpote non tam fortunâ, quam virtute maior illis. Est autem in hoc syllogismô prima propositio per se clarissima, assumpta non parùm controversa. Verum hanc quoque magis magisque agnoscunt, nostratia tempora, postquam glaciem probationis fregêre citati Auctores, quorum nunc operæ armisque innitor. Igitur hunc in modum probatur ab ipsis,

ipſis, unàque me, propoſitio illa aſſumpta. IOSEPHVS noſter unus omnium mortalium maximè implevit munia, triplicis Hierarchiæ cęleſtis diviſæ in novem choros. Ergo, quod in prima propoſitione requirebatur ad Angelorum Regem, Maioremque, dubitari non debet, haberi ipſiſsimum IOSEPHVM noſtrum.

Antecedens inductione conſtabit. 1. enim *Angelorum* eſt, immediatè ſingulis annunciare, quę eos ſeorſim concernunt; itemque ſingulos cuſtodire, dirigere, ac movere, ad conveniens ſibi bonũ, Pſal. 90 v 11: *Angelis ſuis Deus mandavit de te*, &c. Atqui IOSEPHVS largiſsimè hoc totum præſtitit, ut oſtendi Elogio 15. & patet etiam ex eô, quia juxta litteram in omnibus viis cuſtodivit IESVM & MARIAM, inque manibus ſuis, domi ac foris ſæpiſsimè portavit; direxit etiam, jure Patris, ac Viri, utrorumque actiones, & quò videbat Deum velle, movit. 2. *Archangelorum eſt* quaſi Apoſtolicos legatos à latere Dei mitti ad principes, regeſque vel præcipuas mundi perſonas, in cauſis maximi momenti, ac totam communitatem concernentibus, Atqui Gratian. cit, fol. mihi 252. teſtatur, conſtare ſanctorum ſcriptis, quòd IOSEPHVS reſponſo in ſomnis more ſuò accepto tres reges admonuerit de Herodis inſidiis. Et videtur ſcripturæ phraſis Matth. 2. v. 12. pro hac opinione poſſe commodè explicari. 3. *Principatuum* eſt, inſtar principum gubernare inferiores Angelos, in iis, quæ ad ſalutem omnium ac ſingulorum pertinent, ac præ-

cipuè cum de religione agitur. Atqui talis Princeps inprimis IOSEPHVS est, gubernans Ioannem Baptistam, ne ab Herode occidatur, de quô dicitur Malach. 3. v. v. 1. *Ecce ego mitto Angelum meum*, itémque MARIAM Reginâ Angelorum & IESVM Angelum testamenti ut ibidem vocatur. 4. *Potestatum* est, dæmones retundere, terrere, impedire &c. Atqui IOSEPHVS id plenissimè præstitit, deiectis in ingressu Ægypti Dæmonum statuis, (saltem mediante Filiô suô.) & mysteriô incarnationis sapientissimè occultatô, ne ab iisdem agnosceretur. 5. *Virtutum* est, grandia miracula patrare. Atqui nemo maius fecit IOSEPHO, qui IESVM justitiæ Solem per annos 30. arbitriô suô stitit ac movit. Videri etiam apud Castro. c. 10. potest, ficus arbor, & fons Matureæ prope balsami hortum, jam inde à IOSEPHI adventu plurimis hominibus salutares. 6. *Dominationum* est, dominari principatibus. Atqui vt supra legisti ipsamet MARIA IOSEPHO Domini nomê concessit. Barrij cap. 5. ex Revel. S. Brigittæ retulit. 7. *Thronorum* est, esse sedem Dei, in quâ requiescit. Atqui nullibi post MARIAM sæpius hic, quam inter IOSEPHI brachia requievit. Deut. 33. v. 12. 8. *Cherubim* est possidere plenitudinem scientiæ, paradisum custodire, propitiatorio præesse &c. Atqui nihil horum defuit IOSEPHO, qui MARIAM divinorum mysteriorum secretariam, ut eam Ignatius appellat, veréque voluptatis hortum, ac propitiatorium audivit, custodivit, ac rexit. 9. *Seraphim* est, ardere divi-

divini amoris igne, aliósque accendere. Atqui nemo eô arsit magis & accendit alios, quam IOSEPHVS & MARIA assiduè coram IESV clamantes. *Sanctus, Sanctus, Sanctus*. Isa. 6. v. 3.

ELOGIVM LXXII.

IOSEPH

Major omnibus sanctis Deiparâ minoribus.

SIquis animo ab affectibus libero accedit, ad considerandaea, quæ pro elogiô hôc comentaturus sum, næ ego canere triumphum ante victoriam, quam spe præcipio, possum. Habeo enim testes non pauciores novem, omni exceptione maiores, quos tibi ritè censos & approbatos produco. Ac primus est Gerson Cancellarius Galliæ notissimus, in serm. de Nat. consid. 4 ante medium, ubi post multa *profectò*, inquit, *si non mentiebatur* IESVS *qui ait, Vbi ego sum, illic & minister meus erit, ille* (de IOSEPHO loquitur) *proximior videtur collocãdus in cœlis, qui in ministerio fuit vicinior, obsequẽtior atq; fidelior, post* MARIAM *inventus in terris* 2. Bernardinus de Bust. part. 4. Marial. serm. 12. *ex quibus* inquit, *patet, quod nullus in cœlis est maior* S. IOSEPHO, *post beatam Virginem benedictam* 3. S. Gertrudis in lib. re vl. suarum, cum illæ quæ divinum officium in choro decantabant, S. IOSEPHI nomen pronuntiassent, fatetur, vidisse se, *sanctos omnes* in cœlô capita

ei, honoris causâ submisisse, oculis in se mutuò cõnversis. magnáque lætitiæ signa edidisse. 4. Suarez. in 3. p. q. 29. Disp. 8. s. 2. *Non existimo*, inquit, *esse temerarium, neque improbabile, sed pium potius & verisimile, siquis opinetur, sanctum* IOSEPHVM *reliquos omnes in gratiâ & beatitudine antecellere, quia in scriptura nihil est, quod repugnet, neque in Patribus aliquid reperio; &c.* 5. Carthagen. lib. 18. Homil. ult. fol. mihi 521. *sicut*, inquit, *Humanitas Christi Domini eô abundantiorem gratiam, & gloriam obtinuit, quò propinquior fuit verbo divino, & deinde B. Virgo, quæ proxima fuit filio, ita prudenter & piè existimamus sanctum* IOSEPHVM, *quasi tertium locum in abundantia gratiæ & gloriæ obtinuisse, quia post Virginem propinquissimè attigit Christum, familiariusq; tractavit, atq; singularissimam coniunctionem cum ipso per multos annos habuit.* 6. Gratianus in vita lib. 4. cap. 1. in fine *si quis inquit in cœlô cõversari cum S Paulo velit, alio cogitationes suas non convertat, quam ad cœlestem Hierusalem, & ad domum* IOSEPHI, *ubi* IESVM *&* MARIAM, *itémque Angelorum munia omnia, & virtutes sanctorum in huius Angelici viri corde inclusa rreperiet* Et hoc ipsum paulò antè pluribus ostendit, probans IOSEPHVM esse in gradu eminenti simul Patriarcham, Præcursorem, Evangelistam, Martyrẽ, Confessorem, Virginem, Coniugem. 7. Cornelius à Lapid. in Matth. mihi f. 47. *Vna* inquit, *fuit in terris dignissima, imo cœlestis, & divina familia, in qua pater familias, ideoq; præses & rector erat* IOSEPH: *Mater familias, B. Virgo: Filius verò, Christus. In hac igitur tres sum-*

summa & excellentissima totius orbis persona erant: prima Christus utpote Deus & homo: secunda, Deipara Virgo Christo coniunctissima, quasi Mater naturalis; tertia IOSEPH, *quasi pater Christi matrimonialis.* 8. Franciscus de sales in lib. Sac. Dissertat O! *quantus* inquit *est sanctus* IOSEPHVS; *neq; enim solum est patriarcha, sed Patriarcharum Coryphæus, non est simplex confessor, sed confessore maior; in eius confessione clauduntur dignitates præsulum, generosa mens Martyrum, sanctorumq; reliquorum omnium.* 9. Paulus de Barry in almi. piet. cap. 8. *admodum verisimile est*, inquit, IOSEPHVM *sanctiorem esse, aliosq; sanctos omnes antecedentem, proximum post B. Virginem sponsam suam locum obtinere*: qui etiam veritatem hanc sæpius alijs in locis inculcat. Neque ego jam dubito lectorem meum, licet fortè ignarum, aut animi impetu abreptum transire ad partes nostras. Qui etiam probationes hinc, & ex alibi dictis eruet digna elogio præsenti. Eas certè ego aliam ob causam non repeto, quàm, ne repetitione mea cuiquam molestus sim.

ELOGIVM LXXIII.

IOSEPH

Similis MARIÆ Virgineæ Vxori suæ.

POstquam IOSEPHVS virtute ac gloriâ Sanctos omnes MARIA vxore suâ minores transcendit, reliquum nunc est, vt disquiram, an, quantumque Eidem similis sit. Vbi se mihi initio

statim

ſtatim offerunt Gerſon Cancellarius, & S. Bern-
dinus Senenſis; quorum ille in Serm. de Nat. B. V.
Beatiſſimus IOSEPH, inquit, *fuit ſuper omnes homines puros, ſimilis Virgini glorioſæ.* Hic verò in Serm. de S. IOSEPH. *Erat*, inquit, *factus ad ſimilitudinem Virginis Sponſæ ſuæ.* At inde, vt patet, nouarum ſurgit adorea laudum haud parum pretioſa. Quæ enim inter ſe ſimilia ſunt, quale eſt unum, tale eſt & alterum. Atqui MARIA, cui IOSEPH ponitur ſimilis eſſe, laudibus omnibus humanis ſuperior eſt. Eſt ergo etiam IOSEPH illis omnibus ſuperior, in quantum eidem ſimilis eſt. At eſt ſimilis corpore, moribus, ac vitæ ſanctitate, quemadmodum inter alios egregiè oſtendunt Carthag. lib. 4. Hom. 7. & Barry cap. 2. Verum ego alieno ductu, pedibus verò meis incedere malo. Probantur igitur ſingula.

Ac 1. probo IOSEPHVM MARIÆ ſimilẽ eſſe. 1. Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe. Atqui tam MARIA quàm IOSEPHVS eſt ſimilis IESV. Ergo MARIA & IOSEPHVS ſunt etiam inter ſe ſimiles. Minor probatur de IOSEPHO; nam de MARIA per ſe cõſtat; quia Gerſon Cancellarius de IOSEPHO; *Facies*, inquit, IESV *erat ſimilis faciei* IOSEPHI. Atqui IESVS eſt Pſal. 44. v. 3. *Specioſus forma præ filiis hominum.* Rectè igitur ſubſumitur à Barry, IOSEPHVM quoque præ aliis fuiſſe ſpecioſum formâ. Sed de hoc plura proximè dicemus. 2. Quô Matrimonium aliquod perfectius eſt, eô magis convenit Virum & vxorem eſſe ſimiles inter ſe. Ideóque Deus Gen. 2. v. 18.

v. 18. *Faciamus*, inquit, *ei adiutorium simile sibi*. Atqui Matrimonium inter IOSEPHVM & MARIAM est omnium perfectissimum; & quidem ab ipsô Deò inde incarnando, delectu inter infinitos possibiles homines instituto, dispositum. Ergo IOSEPHVS & MARIA fuerunt maximè similes inter se. 3. Eâ similitudine inter se & cum IESV similes isti erant, quæ fecit, ut Dæmones minus cognoscerent mysterium Incarnationis, utque Iudæi, adulterij infamiâ minus aspergere eosdem possent. Atqui hoc utrumque similitudo corporum aptissimè præstabat. Ergo.

Probatur 2. IOSEPHVM esse moribus similem MARIÆ. Et 1. quia moribus similes esse decet eos, qui sũt similes officio, quod gerũt. Atqui IOSEPH & MARIA sunt similes officio eo solo, quod matrẽ à patre distinguit, excepto. Ergo moribus quoque similes sunt. Minor inductione constat; quia utrorũq; officium est cum IESV, invicẽ, & cum Angelis conversari, &c. 2. Quia similitudo morum est conformatio morum. Atqui, ut docet S. Thom. quodlib. 10. a. 10. in c. & ad 2. *quilibet debet conformari moribus eorum, inter quos conversatur, nisi sint contra Deum*. Ergo IOSEPHVS debuit esse moribus similis MARIÆ; & consequenter re ipsâ fuit. Atqui MARIÆ mores tria habebant, indolem blandam, vultum serenum, & modestiam Virgineam. Ergo hæc quoque habuit IOSEPHVS.

Probatur 3. Eundem esse similem MARIÆ sanctitate vitæ. 1. Quia hanc exigit summus amor Viri

&

& vxoris, quô IOSEPH & MARIA vniebâtur, quoad animã. Ideoq; sępe cit. S. Bernardin.; *quomodo*, inquit, *cogitare potest mens discreta, quòd Spiritus S. tantâ unione, coniugij scilicet, uniret menti tantæ Virginis aliquã animam, nisi ei virtutum operatione simillimam? unde credo,* IOSEPH *fuisse mundissimum in Virginitate, profundissimum in humilitate, ardentissimum in charitate, altissimum in contemplatione, ut esset adiutorium simile Virgini.* 2 Quia, scripturâ teste, eadem egêre, eadem passi sunt, & eadem accepêre beneficia à Deô. Ergo prudenter præsumi potest esse similes vitæ sanctitate. Hîc antecedens probarunt locô nostrô. Gerson in serm. de Nat. B. V. & Carthag. lib. 4. ab Hom. 7. & deinceps; probarique ulterius posset, inductione virtutum. Verum de his infra agetur.

ELOGIVM LXXIV.

IOSEPH

Similis IESV Filio suo.

IMplicat, inquies, IOSEPHVM esse similem Deo. At IESVS filius IOSEPH Deus est. Ergo implicat IOSEPHVM esse similem IESV suo filio. Maior probatur, quia implicat similitudo, ubi implicat proportio. Atqui implicat proportio inter IOSEPHVM & DEVM. Ergo inter IOSEPHVM & Deum implicat similitudo. Minor constat quia Isaiæ 14. v. 14. non nisi improbissi-

bissimis tribuitur illa vox. *Ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo.* Atqui similitudo cũ IESV tribuitur IOSEPHO in testimonium meritissimæ laudis. 2. quia, ut axioma habet, finiti ad infinitũ nulla est proportio, Atqui Deus est infinitus, IOSEPHVS finitus. Ergo nulla est proportio inter IOSEPHVM & Deum. At anne propterea jubeam auferri præfixum honoris titulum? Minime gentium: non enim illum amor veri ignorans, sed Veritas ipsa æterna, IESVS, inquam, jam olim dum viveret nobiscum in carne mortali coram Discipulis imposuit, dicens, *inter natos mulierum nemo mihi similior fuit formâ corporis, moribus, conditione Vitæ, patiendi ardore, quam* IOSEPHVS. Id quod ex orientali historia refert Gratianus lib. 2. cap. 4. de cuius auctoritate supra diximus. Accedit autem etiam autoritas Iustini in dial. contra Tryphonem, Bernardini Sen. sermone de sancto. Gersonis Cancellarij proxime relata, Isolani. Bernardini de Bust. & Carthag. l. 18. Hom. ult. ut proinde recta ad Rationes abire possim, quibus etsi auctores mihi essent nulli, probabilis tamen reddatur assertio hæc, népe IOSEPHVM esse similẽ IESV filio suo.

Igitur 1. ex quo quis pluribus accedit modis ad veram filiationis rationem, quæ originaliter in Verbo est, eò est similior filio Dei. Atqui IOSEPH pluribus modis accedit ad filiationem Verbi, quod IESVS est, ergo est similior illi. Maior est S. Thom. 1. p. q. 33. a. 3. in corp. Minor indidem probatur, quia quinque modis accessit IOSEPH ad filiatio-

nem

nem. scilicet. 1. Per *similitudinem naturæ*, per amorem & cognitionem perfectissimè operantis, solâ Virgine exceptâ. 2. Per *Similitudinem vestigij* imitantis vitæ genere mores Dei supra alias omnes, post eandem Virginem, creaturas. 3. per *similitudinem imaginis* continuâ contemplatione itidem præ aliis omnibus aptissime adumbrantis ipsam Dei imaginem. 4. per *similitudinem gratiæ*, sola Virginis gratia minoris, jam inde à primo suo ortu, copiosissimè ex Deo gratiarum abysso haustæ. 5. Per *similitudinem gloriæ*, in resurrectione, Assumptione, ac cœlorum regno proximè gloriam Christi participantis. Quæ alij uberius expendere poterunt. 2. Quo filius aliquis est similior patri, eo certius putatur talis patris, & non alterius genuinus esse filius. Atqui IESVS certissimê putatus est genuinus esse filius IOSEPHI à judęis. Dicitur enim Luc. c. 3. v. 23. *Et ipse* IESVS *erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius* IOSEPH & Matth. 13. v. 55. *Nonne hic est fabri filius.* 3. In IOSEPHO & per IOSEPHVM præcipuè impleta sunt illa Apost. ad Philip. 2. v. 6. Verba. *Christus* IESVS *cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo: Sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*, perinde enim est acsi diceretur; IESVS quia in forma, sive natura Dei erat, non fecit, nec se facere rapinam arbitratus est, esse sibi æqualia Deo patri sed semetipsum exinanivit, hoc est, fecit ex Domino servum, ex Deo hominem, ex Creatore creatu-

ram.

ram, & pœnalitates suscipiens in se, fabrilem quoque artem, quæ præcipue servorum est, sub Magisterio IOSEPHI per annos bene multos profitens, in similitudinem substantialem hominum duorum MARIÆ & IOSEPHI factus, & habitu, hoc est, corpore ac proprietatibus inventus, nullo nostro merito, sed ex sola misericordia Dei, ut homo IOSEPH, verè homo & rationalis, sine peccato, ignorantia, tarditate, tepiditate, &c. Est ergo IOSEPH similis filio suo.

ELOGIVM LXXV.

IOSEPH

Similis Deo.

INprimis de Fide est, omnem hominem esse similem Deo, Genes. enim 1. v. 26. *Faciamus*, inquit, *Deus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Et. v. 27. *Creavit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creavit illum, masculum & fæminam creavit eos.* Atqui juxta Dialecticos, quod dicitur de omni, dicitur & de quovis contentô sub omni. Continetur autem etiam IOSEPH sub omni, subintellige homine. Est ergo ipse quoque imago Dei, adeóque similis Deo. Atqui imago est similitudo alterius ab ipso procedens aliquô modò. Homo ergo, & IOSEPHVS, qui sunt imago Dei, debent 1. esse similitudo Dei. Atqui non sunt similitudo Dei in natura specifica. Ergo tantû sunt similitudo

P in ali-

in aliquo specialiter repræsentante naturam specificam. 2. Debent esse similitudo procedens à Deo. De hoc autem nemo dubitat; quia sunt effectus physici à Deò per creationem procedentes; ut ipsemet Deus cit. loco testatur. Sed de conditione primâ maius est apud plerosque dubium; quod deponere me, licet inde non plus IOSEPHO, quàm cuilibet alteri accedat, necessarium duco; subinde tamen adiungam modum etiam supernaturalis cuiusdam similitudinis IOSEPHO in paucis convenientis. Sic igitur ad prius quod attinet, est IOSEPHVS, & universim homo, teste Cornel. in 1. Gen. imago naturalis Dei decem modis 1. quòd hominis anima sit spiritualis & individua substantia. 2. Quòd sit immortalis & æterna. 3. Quòd prædita sit memoriâ, intellectu, & voluntate, tanquam Trinitas creata increatam aptissimè exprimens. 4. Quòd sit libera libertate contrarietatis & contradictionis. 5. Quòd cunctis animalibus sua potestate præsit ac dominetur. 6. Quòd sit capax omnis honestatis, sapientiæ, ac bonitatis. 7 Quòd sit finis quodammodo omnium creatorum & quasi omnipotens instar Dei. 8. Quòd omnia intelligat & saltem eminenter contineat in se, omnes gradus entis. 9. Quòd sit tota in totô, & tota in qualibet parte. 10. Quòd intelligendo se producat in mente suâ verbũ intelligibile suiipsius expressivum, sibiq; simile: atque inde in voluntate eiusdem amorem producat. In quo quidem ratio imaginis naturalis Dei præcipuè elucet. Vlterius autem iam ad alteram

ram

ram imaginem, quæ supernaturalis est, gradum promoveo. Ea verò duplex est, gratiæ una, & alia gloriæ. Sed de gratiâ superius abundè egi, cùm eâ IOSEPHVM plenum fuisse, probavi. Nunc de gloriâ superest, ut dicam, non quidem eâ quam modò obtinet in cœlis, quæ hoc ipso, quod verisimilia tibi nostra sint, uni cedit Virginis gloriæ; sed de illâ, quâ inter nos vivens speciali Numinis favore, ad tempus eidem placitũ prælibavit; quæq; à cœlesti aliter non differt, quàm quòd illa habeat se per modũ transeuntis, hæc cœlestis verò, se per modum habitûs, habeat. Igitur IOSEPH mihi adhuc in suo mortali corpore videtur pervenisse ad supremæ similitudinis cum Deo gradum. Et quidem, per claram divinæ essentiæ visionem tradunt Stemma Marianum Germanicè impressum ad diem 19. Martij. & Gratian. lib. 3. c. 5. & l. 5. tit. 3. quorum postremus affert verba S. Brigitt. Rev. l. 6. c. 58. Vbi *sic*, inquit, *obediens erat* IESVS, *ut cum* IOSEPH *casu diceret ei, fac hoc vel illud, statim ipse faceret quia sic occultabat Deitatis suæ potentiam, ut nisi à me; & quandoque à* IOSEPH *sciri non posset, qui vidimus lumen admirabile multoties circumfulsisse eum, & Angelicas voces cantantes super eum audivimus.*

Verum hæc revelatio non videtur præbere sufficiens argumentum assentiendi dictis. Alio proinde, ut confugiam, necesse est. Nempe 1. clara Dei visio, ut volunt gravissimi Doctores, multis alijs Viatoribus minùs sanctis, quàm sit IOSEPHVS speciali Dei beneficentiâ ad breve

concessa tempus est. Non est ergo hæc ipsa neganda IOSEPHO. 2. Visio ista videtur esse præmium extraordinarij amoris, quò fertur quis in Deum. At nullibi amor ardentior in Deum fuit, quàm in paterno corde IOSEPHI. 3. Visionem hanc ut IOSEPHO impetret. B. Virgo & concedat IESVS maximè videntur obligati, saltem ex decoro. Possumus ergo dicere, de facto illi hanc datam esse.

ELOGIVM LXXVI.

IOSEPH

Similis Deo Patri ingenito.

PAtris nomen Deo multipliciter competit. ut 1. Creatione, quâ nos ex nihilo ad imaginem & similitudinem suam, hoc est, ad simillimam imaginem creavit. 2. Redemptione, quâ nòs per Christi temporalem mortem liberavit à morte æternâ. 3. Regeneratione quâ nos per baptismum à peccato originali, per quod mortui eramus, in novam gratiæ vitam regeneravit. 4. Adoptione, quâ nos sibi in filios per gratiam adoptavit. 5. Vocâtione, quâ nos cœlestis suæ gloriæ hæredes propter opera nostra absolutè prævisa instituit. Verùm hæc quinque Paternitatum genera communia sunt omnibus tribus divinis personis. Redemptione exceptà, quatenns significat actiones talis suppositi ad salvandos homines missi. Vt enim habet axioma Theologicum; opera omnia ad extra com-

comunia sunt toti Trinitati. Iis ergo paternitatibus omissis, strictior aliqua solique primæ Personæ propria inquirenda est. Hæc autem est, prima eius constitutiva ratio, prima inquam, tum negativè, quia nulla est prius; tum positivè, quia alias omnes proprietates, etiã innascibilitatẽ & spirationem activam antecedit. Quæ in meà sententià duo significat; principium scilicet generativum, atque ipsam actualem generationẽ, quatenus dicit actualem intellectionem essentiæ divinæ; attributorum omnium, & personalitatum, ac demum creaturarum possibilium, ut possibiles sunt, seclusis actualibus, quatenus tales sunt. Ita communis Granad. Amici & Tanneri. Sed hæc aliam ob causam non affero, nisi ut fundamentum solidum ponam, cui præsens IOSEPHI Elogium tutò insistat.

Igitur ex dictis quatuor habeo mihi, ac foro meo, non parum idonea. 1. est Patrem cælestem esse Patrem omnium maximum, 2. Eundem generare sine carnis interventu, sine divisione sui, sine temporis mensurâ. 3. Eundem intelligendo generare, & ideo, quia semper intelligit, semper generare. 4 Huius intellectionis tam fæcundæ obiectum esse Deum, & divina, terminum verò formaliter procedentem esse Verbum unigenitum, sive Filium Dei. Atqui, subsumo ego, habet per participationem, hoc est, modo quo creaturam habere decet, IOSEPH hæc ipsa quatuor. Est, ergo ipse, quod intendebam, Similis Ingenito cælesti Patri.

Neq; hìc de Maiore se mihi quisquam opponet.

Probo ergo minorem, quæ sola probatione eget. Inprimis IOSEPH est omnium Patrum inter Personas creatas maximus. Si enim, vt ex Ioanne Damasc. Cant. 3. in Nat. B. V. *ipsum esse virum* MARIÆ *prorsus ineffabile est, & nihil præterea dici potest*, quantum erit esse PATREM IESV. Iam verò nonne idem est Pater sine commercio carnis? Nonne idem semper, qui fuit, mansit, etiam suscepto è Virgineâ vxore filio? nonne, quod concepto, natoq; initio præstitit, porrò per totam vitam præstare perrexit, sine omni temporis, nisi quô vita circumscripta fuit, mensurâ.

Sed neque tertium defuit IOSEPHO. Si enim religiosissimę mentis penetralia ingrediar, quæ alia desideria iam inde à primâ sanctificatione, quæ vsum rationis ipsi ac gratiam attulit, audiebantur, quàm de Mesiæ aduentu; quem cognoscere, credere, velle vnicè laborabat, ijs subinde Isa. 45. v. 8. vocibus vtens: *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum. Aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Vbi actus voluntatis intellectus actibus, & hi illis, prout ferebat ardor, permiscebantur. Sed tamen actus intellectus physicè præstant & præsupponuntur actibus voluntatis, & ad naturam hominis propius accedunt, & vim dirigendi præcipuè exercent; ideo ergo generationi intentionali, siue intellectioni actuali Incarnationis Dominicæ iugiter intẽdit, iuxta Luc. 2. v. 33. *Et erat Pater eius & Mater, mirantes super his, quæ dicebantur de illo.*

Tandem verò tum obiectum mentis IOSEPHI,

PHI, tum terminus, quid, quæso, aliud est, quàm IESVS verbô intellectuali expressus, itémque alia quæ ducunt ad IESVM? Nihil ibi secundùm quod cogitatur, mortale est, nihil præsens, præteritum & futurum. Æternitati viuit IOSEPHVS noster. Ideo à contingentibus præscindit tanquam à Fine, vt eò faciliùs ad principium æternitatis pertingat.

ELOGIVM LXXVII.

IOSEPH

Similis Filio Dei Vnigenito.

VT idem sit Filius eius, cuius est Pater, tam parùm implicat, quàm parùm implicat, eandē esse Filiá eius, cuius est Mater. At est de facto MARIA filia eius, cuius est Mater. Est ergo IOSEPH quoque Filius eius, cuius est Pater. Atqui MARIA est mater Filij Dei vnigeniti, & IOSEPH est Pater eius. Si ergo MARIA est Filia Filij Dei vnigeniti, IOSEPH quoque eius Filius est. Atqui Filius Dei, vtiq; similis est Filio Dei. Si ergo ostendi possit, IOSEPHVM esse Filium Dei, & quidem interiore aliquo Filiationis genere, quàm sint vlli alij homines, consequens erit ipsum esse omniū simillimū Vnigenito Filio Dei; quod haud dubiè gloriosissimū huic Sancto nostro est. At id probari potest euidenter ex Sacris Litteris, & Patribus docentibus hominem iustum esse Filium Dei. Eligo tamen vnum tantum alterúmve locum, vt in 1. Ioan. 3. v. 1. *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, vt Filij*

PHI incarnatum curam plùs quàm paternam super hunc Patrem suum exercuit. 3. Amor Dei erga IOSEPH tantus fuit, quanta fuit gratia, quâ ipsum perfudit; siue deinde amor & gratia idem sint, siue diuersa, quod probabilius est. Vide autem ipsemet effectus septem gratiæ apud Cornel. à Lap. in 2. Petri c. 1. v. 4. Et ego infra Elog. 85. de amore IOSEPHI in Deum, cui directè correspondet amor Dei in IOSEPHVM, ex proposito agam. 4. Iuxta 2. Pet. 1. per cognitionem Dei, qui vocauit IOSEPH propriâ gloriâ & virtute, per quam maxima & pretiosa nobis promissa donauit, idem IOSEPH effectus est speciali modo diuinæ consors naturæ, scilicet non accidentaliter tantùm & per gratiam sibi inhærentem, sed substantialiter & per naturam divinam sub ratione Auctoris gratiæ ipsi peculiariter communicatam, quâ super omnes in filium, & hæredem assumitur, & tanquam pulcherrimum aliquod tamplum consecratur, ac quodammodo deificatur, Ita Suar. l. 12. de Deo vno & trino cap. 5. n. 11. & 12. & idem Cornel. in 2. Pet. 1. v. 4. â f. 360. 5. IOSEPH, instar Dei virtute suâ factus est præ omnibus alijs, quantũ nempe homo capax est, & decorum permittit, immutabilis, imperturbabilis, impeccabilis, iustus, misericors, constans, omniscius, patiens, rectus, fortis, longanimis, &c. Ac 6. Idem omnium primus promissam hęreditatem adijt cum Christo, cum quo in cælum vnà cum corpore assumptum esse Elog. 61. dixi. Est igitur IOSEPHVS Filius Dei, & quidem

primus siue primogenitus ex fratribus, & eatenus Filio Dei Vnigenito simillimus, hoc vno discrimine, quod ipse nonnisi adoptivus sit, cùm Filius Dei sit Filius naturalis Dei.

ELOGIVM LXXVIII.

IOSEPH

Similis Spiritui Sancto.

VEritatem Elogij huius aperit nobis notissimum axioma; Similis simili gaudet. Si ergo IOSEPHVS similis est Spiritui S. simili gaudet; & si simili gaudet, similis est Spiritui S. Sed vtrum ex his probandum est prius? an quòd similis sit? an verô quòd simili gaudeat? Et ego quidem 1. posterius eligo; quia nihil est causa sui ipsius. Dein verò probo & prius, nempe IOSEPHVM esse similem Spiritui S. Atqui id, per quod probo esse similem, debet esse hoc ipsum, quòd simili gaudeat, hoc est illo, quô gaudet Spiritus S. Hoc ipsum ergo, quòd simili gaudeat, probandum est. At ego idem inductione, quâ nulla videtur probatio efficacior esse posse, sic probo.

1. Est IOSEPH noster, etiam ipse, habens de Spiritu S. Ratio sufficiens est. Quia iustus est. Vt enim ad Rom. 5. v. 5. dicitur; *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis.*

2. Est quodam modo, ipse quoque Spiritus S. [illegible]; ob varias Rationes. 1. Quia, *quod natum est ex*

ex Spiritu, Spiritus est. Ioan. 3. v. 6. Ergo quod natum est ex Spiritu S. quodam modo Spiritus S. est. 2. Quia vt ex Trid. Sess. 6. c. 7. ostendit Suar. præc. elog. cit. adoptatur iustus à Deo dupliciter; accidentaliter, & substantialiter. Est autem adoptionis accidentalis causa formalis ipsa gratia; at verò substantialis adoptionis causa formalis est ipse Spiritus S. animam iusti mediante gratiâ tanquam vinculo morali inhabitans. 3. Quia iustus, per hoc, quòd iustificetur, constituitur in summo gradu amicitiæ diuinæ. Atqui hoc non fit, nisi per præsentiam Amici amati. Debet ergo Spiritus S. esse in eo, qui iustificatur. 4. Quia specialiter nobis promittitur Spiritus S. quia Ioan. 14. v. 16. *Rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum.* Et 26. *Paraclitus autem Spiritus S. quem mittet Pater in nomine meo, &c.* v. 17. *apud vos manebit, & apud vos erit.* Atqui, quò quis iustior est, eò gratia ipsi intensior inhæret. Ergo etiam, hoc ipso illi, magis inhæret Spiritus S. siue charitas diffusa in cordibus nostris. Vide hist. Luciæ V. & M. & Corn. à Lap. in 2. Pet. c. 1. cuius doctrinam vt meam recipio à f. 360.

3. Spiritus S. est amor, non solùm essentialiter, quo modo etiam prima, & secunda persona est, sed etiam notionaliter; cui tanquam formali origini appropriatur, tanquam radius Soli, omnis amor creatus. At est hic amor in IOSEPHO maximus, tum erga ipsum Spiritum S, tum erga reliquas personas, ac MARIAM Spiritus S. Sponsam, IESV Filij

lij

lij matrem, æterni Patris filiam.

4. Sicut Spiritus S. tribus modis paraclitus est, ita est suo modo & IOSEPH. Nempe vterque est 1. aduocatus. 2. exhortator. 3. consolator; quæ tria nomen paracliti significat, iuxta græcum etymon.

5. Tam Spiritus S. quam IOSEPH est Sponsus MAIRÆ Virginis. Ac de IOSEPHO dubium non est. Is enim, cui desponsata est MARIA, vtique Sponsus est. Atqui Luc. 1. v. 27. *Missus est Angelus Gabriel ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat* IOEPH, Similiter verô de Spiritu S. legitur ibid. v. 35. *Spiritus S. superueniet in te.* Et Matth. 1. v. 18. *Inuenta est in vtero habens de Spiritu S.* &c.

6. Spiritus S. donum est 1. essentialiter; Potest enim donari ab aliquo, & ab aliquo haberi. 2. per appropriationem; quia est datio irreddibilis, siue per merè gratuita. 3. notionaliter; quia solus per modum doni vi processionis mittitur. At his simile per Dei & suum Amorem habet etiam IOSEPH: Cùm autem ex donis Spiritus S. ad extra maximè conspicuum sit donum linguarum, idem eâ fiduciâ, quâ Cornelius in Acta c. 1. fol. 77. ex Suarez dicit, id communicatum esse MARIÆ in aduentu trium Regum, idem verisimile est, etiam IOSEPHO, tunc, & in Ægypto, â Spiritu S. fuisse collatum.

ELO-

ELOGIVM LXXIX.

IOSEPH

Cum IESV & MARIA Trinitas creata.

EX dictis liquet, IOSEPH vnum eundemq; esse intentionaliter & symbolicè Trinitatem increatam. Quod enim simile est alteri, tale est in ratione similis, quale est alterum. Atqui vt dixi, est vnus idemque IOSEPHVS similis Patri Ingenito, Filio Vnigenito, & Spiritui S. Est ergo intentionaliter ac symbolicè Trinitas increata.

Vbi mihi vtique nemo opponet infinitam distantiam Entis finiti ab infinito, creati ab increato, quia similitudo hæc non est physica, & in essendo, sed tantùm moralis, & in significando, ac imitando; quâ ratione dixit Deus psal. 81. v. 6. *Ego dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes*, Et Basil. hom. de Spiritu S. *Huius gratiâ*, inquit, *Deus est, quisq; Sanctorum*.

Pace igitur legentium hoc licebit mihi agere, quod ago, & ad stabiliendas præsentes laudes transire, quas ante me iam pridem IOSEPHO conciliauêre Cornel. à Lap. in 1. Matth. fol. 53. Carthag. lib. 4. Hom. 5. & 8. Barry cap. 3. Quibus facem, vt in multis alijs, dudum ante Gerson Cancell. prętulit, dum in Serm. de Nat. B.V. coram toto Constantiensi Concilio exclamauit, *Cuperem, vt mihi verba suppeterent ad explicandum tantum mysterium, tam admirandam, venerandamq; Trinitatem* IESVS, MARIA, *&* IOSEPH. Et ego quidem hæc verba etiam vt me-

vt mea, imò omnium hominum collectiuè ac distributiuè accipiendorũ, suscipi volo. Eoq; sensu Ioannes c. 21. in f. dixit: *Sunt autem & alia multa, quæ fecit* IESVS, (addo ego, quæ fecit MARIA; quæ fecit IOSEPH) quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros, pares laudibus Trinitati isti ex IESV, MARIA, & IOSEPHO conflatæ, debitis. Hanc ergo Trinitatem quidni & ego pro viribus exornem? At exornare faciliùs non possum, quàm si quæ sunt in Trinitate increata, ostendam suo modo in hâc Creatâ esse.

Igitur IESVS MARIA IOSEPH sunt 1. Personæ sanctissimæ totius Mundi. 2. Canonizatæ sunt omnes & singulæ à Spiritu S. eo ordine, quem Matth. c. 1. habet. 3. Vnum sunt vnitate indissolubilis matrimonij, & quidem spiritualiter consummati. Ad hoc namque spectat, Vir, Mulier, & Proles legitimè ex muliere suscepta. Atqui Vir est IOSEPH, MARIA mulier, IESVS proles legitima. 4. In hâc Vnitate Trium istarum Personarum, IOSEPH præcipuè Patrem æternum spiritualiter generantem repræsentat; MARIA verò Spiritum S. quia est sanctissima, & quia concepit de Spiritu S. ac demum IESVS seipsum, hoc est, Filium Dei. In quo Cornelio nostro præ alijs antè citatis qui Matrem cum Patre, & IOSEPH cum Spiritu S. componunt, adhæreo. 5. Hic quoque est Auctor Salutis IESVS, MARIA mediatrix, IOSEPH eiusdem coadiutor. 6. Sicut Æternus

Pater

Pater Verbum generat per intellectionem, & cum Verbo tanquam vnum adæquatum principium, per amorem, Spiritum S. ſpirat, ita perſonarum iſtarum vnica hæc vita & opus eſt, intelligere, manifeſtare, amare, & amorem propagare. 7. Etiam MARIA quaſi ſtella maris, & aurora conſurgens peperit Chriſtum, *qui eſt candor lucis æternæ.* Sap. 7. v. 25. & *Lumen ad revelationem gentium*, Luc. 2. v. 32. Atqui hoc principaliter fit in æternâ generatione, in qua Verbum procedit tanquam Lumen de Lumine, Deus verus de Deô verô. 8. Quemadmodum Ioan. 1. c. 5. v. 7. dicitur: *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus S. Et hi tres unum ſunt*; ita IESVS, MARIA, & IOSEPH, in eodem ſunt tres perſonæ omnibus maiores, quæ teſtimonium nobiliſſimum de Trinitate increata perhibent, colligatæ inuicem arctiſſimæ vnitatis vinculo. 9. Etiam hæc tria nomina celebritatem conſecuta ſunt proximam tribus diuinis nominibus; ideoque iam paſſim cani audimus.

IESVS
MARIA
IOSEPH

Hæc tria nomina
Bona ſunt omnia
Et mundi lumina
Et cœli limina.



ELO-

ELOGIVM LXXX.

IOSEPH

Præcipuus Mariæ imitator.

SI mihi ingredi liceat IOSEPHI membra ac animum, dicam fidenter, IOSEPHI membra ac animum esse membra ac animum MARIÆ: Vti enim inter nos quotidie vsus fert, vt si quis alium magni nominis hominem constituat exemplar sui, quod imitetur, eâ imitatione aliquanto tempore continuatâ, in eundem quodammodo totus immigret, ita IOSEPHVS noster, per tot annorum curricula, intuens in MARIAM, eique se assiduè conformans, videtur simili modo MARIAM induisse totus, & pro MARIA agnosci credique posse. Vt enim S. Augustinus tr 2. in ep. 1. Ioan. ait, *Talis vnusquisq; est, qualis est eius dilectio. Terram diligis, terra eris; Deum diligis, Deus eris.* Rursum autem, talis est alicuius dilectio, qualis est imitatio eius. Est autem imitatio IOSEPHI, MARIAM tanto tempore, tantâque curâ respicientis, summa. Est ergo etiam dilectio eius summa. Ac proinde ritè argumentari possum. Quod quis diligit, & imitatur, id quis est. Atqui IOSEPH diligit & imitatur MARIAM. Ergo est IOSEPHVS MARIA. Probo autem minorem, non quidem quod diligat, hoc enim superfluum est, quia Vir est MARIÆ; sed quod imitetur illam. At hoc sic probo.

probo. Omnis artifex imitatur exemplar sibi propositum, à conductore suo. Atqui MARIA est exemplar propositum IOSEPHO ceu artifici, à conductore Deo, IOSEPHVS ergo imitatur MARIAM. Hic tu quidem mihi minorem negabis. At ego illam probo: quia ut S. Bernard. apud Salazar c. 38. *Arca*, inquit, *testamenti, sive tabernaculum, typum tenet Dei genitricis.* Quod ergo de tabernaculo dicitur, debet typicè de MARIA accipi. Atqui Exod. 25. v. 40. *Inspice*, dicitur, *& fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Ergo MARIA quoque est tale exemplum monstratum IOSEPHO, tanquam alteri Moysi attracto assumptóque, in monte contemplationis, vitæq; cœlestis. Atqui *exemplar est*, ut docet S. Thom. de Ver, q. 8. a. 8, ad 2. *id, ad cuius imitationem aliquid fit, ex intentione agentis.* Nihil igitur deest ex parte obiecti ad imitationem necessarium.

Atqui, ut prosequar discursum neque ex parte IOSEPHI deest aliquid. Ipse namque sibi *Beseleel*, hoc est, *Vir in vmbra Dei*, est, quem Deus cùm proponeret tabernaculo suo, potiore iure commendare potuit illis Exod. 31. verbis, *implevi eum Spiritu Dei, & scientia in omni opere, ad excogitandum quidquid fabre fieri potest ex auro, & argento, & ære, marmore, & gemmis, & diversitate lignorum.*

Videamus autem in specie, quomodo ad exemplar Tabernaculi Mariani ipse animam suam in tabernaculum transformârit Dei viventis. Ac 1. Psal. 45. v. 5. *Sanctificavit tabernaculum suum altis-*

ſimus per univerſam vitam ſupra alios omnes mortales. 2. Pſal. 18. v. 6. *In ſole*, ſive ut LXX. legunt, *ſoli*, *poſuit tabernaculum ſuum*, ſcilicet; quia ſolis inſtar in domo Dei, Eccleſia inquam, poſuit; vel etiam, quia Chriſto ſoli Iuſtitiæ peculialiter deſervivit. 3. Eccleſiaſtic. 24. v. 12. *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo*, ſimul corporaliter per Chriſtum, & ſpiritualiter per gratiam iugiter continuatam. 4. Pſal. 83. v. 2. Inter tria ſummè dilecta tabernacula Domini virtutum annumerari meretur; de quibus maiori iure cum S. Petro Matth. 17. v. 4. dicere poſſumus. *Faciamus hîc tria tabernacula.* Tibi, mi IESV, unum; tibi, MARIA alterum; & tibi, IOSEPHE, tertium. Vel ſi id facere non poſſumus, vos ipſi nobis tabernaculi Vicem exhibete. 5. In hoc Ioſephino tabernaculo itidem omnia per idoneam allegoriam ſunt, quæ ſunt in Mariano. Nam ligna ſetim, ſunt mundities cordis; coccus bis tinctus, utraque charitas; purpura, mortificatio; byſſus, caſtitas; hyacinthus, contemplatio rerum cœleſtium; pili caprarum, paupertas; pelles arietum rubricatarum, obedientia ad uſque Martyrium conſtans; oleum, miſericordia; Thymiama, exemplum bonum; candelabra, doctrina ſacra; menſa & propoſitio panum, Chriſtus; velamentum, Fides; aureum Thuribulum, anima charitate flagrans; tabulæ teſtamenti, obſervantia legis; arca teſtamenti, MARIA; urna aurea, matrimonium cum illâ; manna, conſolationes; Virga

Aaron

Aaron, Virga IOSEPHI, etiam ipſa refloreſcens. Manet ergo, IOSEPHVM eſſe MARIÆ præcipuum imitatorem, Vide Corn. in Exod. c. 25.

ELOGIVM LXXXI.

IOSEPH.

Præcipuus IESV imitator.

MAgna eſt ſemper imitantim gratia, non ſolum ſi is, quem imitaris etiam ipſe ſit gratus, ſed etiam ſi inviſus ſit, ille in ſeipſo ſpectatus. At negari non poteſt tantò gratiorem eſſe eam imitationem, quæ utrumque coniungit, nempe obiectum omnibus gratijs circumfuſum, & conformitatem actus alieni idem obiectum plenè perfectèq; exprimentis. Coniunxerunt autem utrumque hoc S. Franciſcus Seraphicus, S. Catharina Senenſis, S. Ioanna de Cruce, quinque SS. Chriſti ſtigmatibus inſignes. Coniunxit deinde Apoſtolus Paulus, & qui eundem imitantur, plurimi alij, quorum mihi voces identidem audire videor. *De cætero nemo mihi moleſtus ſit* interrogans cuius conditionis ſim; *ego enim ſtigmata Domini IESV in corpore meo porto*, Ad Gal. 6. v. 17. Qui etiam ulterius cum eodem Paulo progreſſi, *Chriſto*, inquiunt, *ſingulatim, confixi ſumus cruci: vivimus autem, iam non nos; vivit verò in nobis Chriſtus.* Ad Gal. 2. v. 19. Debent ergo, hi omnes & ſinguli imitatores Chriſti meritô gratiſſimi eſſe, tum propter Chri-

ſtum, quem nobis coram exhibent, tum propter ipſam imitationem prototypo ſuo tam aptè conformatam.

Sed non eſt mihi hic prætereundus S. IOSEPHVS, non ſolùm primus, verùm etiam præcipuus imitator IESV. Eſt is primus, quia primus Chriſto convixit, tempore antecedens alios omnes, qui longô poſt intervallô præeuntem ſecuti ſunt.

Eſt idem præcipuus 1. quia Myſterium Incarnationis Dominicæ, causaſque eius, & exequendi modos omnes, intimè penetravit.

2. Quia ſciebat, ſe patrem eſſe, ſimul ac ſervum Chriſti Regis Regum. At *Regis ad exemplum totus componitur orbis.* Imitantur verò perſæpe etiam Patres filios ſuos, quantumvis parvulos, & quodammodo repueraſcunt cum illis; ut proinde mirari debeat nemo, ſi etiam IOSEPH cum æternâ Sapientiâ incarnata quaſi repueraſcere velit.

3. Quia bene longo tempore intuitus eſt imitabile obiectum, & quidem directè, reflexè, refractè, indirectè, in luce, & cum umbris: ſcilicet directè in contemplatione; reflexè in meditatione; refractè in MARIA; indirectè, in operibus; in luce diei, noctisvè umbris, domi nempe ac foris, privatim ac publicè.

4. Quia ad ritè contuendum hoc obiectum nemo magis inſtructus fuit, atque ipſe. Nam & obiectum fuit in debitâ diſtantiâ, & medium lumine fidei ac ſcientiæ experimentalis ſufficienter illuſtratum, & oculus mentis à concupiſcentiæ

fomi-

fomite, peccatis, ac motibus inordinatis, perpurgatus.

5. Quia videndi subsidia externa ipse plurima habuit. Nam 1. MARIA Præcursorem amore præcurrens; *Ecce*, inquiebat quotidie ad IOSEPHVM, *agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* 2. omnibus tubis clariores illustrationes applicuit eius animo Deus. 3. Perspicilia quòque sufficiebat frequens Angelorum alloquium, quo quid esse potest, quod assequi homo non possit?

6. Quia neque ad imitandum quidquam esse idoneum potest, quod IOSEPHO gratia non dederit. Nam 1. figere oculos, quantum collibitum fuit in obiectum imitationi destinatum potuit. Imo memini me legere usurpâsse IOSEPHVM illas Patris æterni voces. *Sede à dextris meis*, Psal. 109. v. 1. 2. Hoc obiectum nulla re magis, quam regulâ gaudet, & amussi. At his carere faber iste noster non potest, cui, pro amussi, est intentio recta; pro regulâ, conscientia Deo innitens. 3. Imitationis fructus maximus quotidie ob oculos illi ponitur. Allicitque 4. artificem, ipsum supra omnes Narcissos amabile obiectum, & & ostendit imitandi modum, ex Matth. 11. v. 29. *Tollite iugum meum supra vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*; multîsque alijs eiusmodi doctrinis, quas cogitare pronius est, quam explicare. 5. Condiscipulam nactus est MARIAM Matrem IESV eius imitandi peritissimam; quam si vocem felicissimum illud ætatis nostræ instru-

mentum parallelogramma dictum, quô, perbrevi ſpatio & labore, pictores propoſitas imagines imitantur, utique non erravero. Vſus eſt hoc inſtrumento Ioannes Baptiſta; multo autem ſæpius & diutius IOSEPHVS. Quis ergo ipſum præcipuum IESV imitatorem neget eſſe?

ELOGIVM LXXXII.

IOSEPH

Vnum quid cum IESV.

QVod hîc docebo, fateor didiciſſe me ex Gratiano S. Tereſiæ primogenito Virô, ut Riberæ videtur, ac nobis, egregiè doctò ac piò. Sed forma tamen deerat, ſcholis apta ac templo, quam materiæ oblatæ inducere calamus meus vult. Igitur; quæ diverſa ſunt, unum eſſe non poſſunt, niſi mediante unione. At quis neget IESVM & IOSEPHVM diverſos eſſe? utpote Deum & hominem. Vnum ergo eſſe non poſſunt, niſi mediante Vnione. Atqui rurſum, res omnes quantumvis inter ſe diverſæ, tot modis eſſe Vnum poſſunt, quot dantur Vnionum genera. Atqui dantur Vnionum genera quinque. Quinque modis ergò IESVS & IOSEPHVS unum eſſe, poſſunt; imò corrigo me, de facto unum ſunt; quia dantur de factô inter ipſos illa quinque unionum genera; puta Vnio ſimilitudinis Vnio propinquitatis, Vnio inhæſionis, Vnio converſionis, & Vnio naturalis, ſivè

sivè quasi naturalis. Ita Gratian. de Vit. S. IOSEPHI l. 3. c. 3. & ostendo inesse IESV & IOSEPHO hæc singula genera.

Ac 1. inest ei Vnio similitudinis; quia ut paulò ante dixi, hæc aliud non est, quàm conformitas Vnius cum altero. At est hæc inter IESVM & IOSEPHVM triplex, corporis, morum, ac virtutum; prout itidem ostendi. Ergo in ijs Vnio similitudinis; inest, inquam, eo modo, quo Relatio similitudinis inest ei, quod refertur ad aliud, intrinsecè.

2. Inest Vnio propinquitatis; quæ est coniunctio plurium inter se; sive ratione loci, ut cum manus manum stringit; sive ratione familiæ, ut cum plures eundem patremfamilias recognoscunt; sive ratione sanguinis, ut cum plures illum à communi stipite trahunt; quod cognatorum est. At hæc quoque triplex unio propinquitatis in IESV & IOSEPHO est. Nam 1. quoties putas accepit IESVM in ulnas suas? quoties ori, oculis, ac pectori divinum IESV os, oculos, ac pectus adstrinxit? quoties expandit se atque mensus est super puerum hunc? nihil enim non licet Patri in tenerum Filij corpusculum, præcipuè si Deus dicat, accipe puerum & Matrem ejus, &c. 2. Fuit IOSEPHVS (ut ostendi Elog. 27.) paterfamilias omnium felicissimus, eiúsq; filius familias unicus ipse IESVS. At quis IOSEPHO litem tantæ necessitudinis intentet? 3. Et inter se propinqui, & sub Davide stipite cõmuni descendunt IESVS

& IOSEPHVS. Quin quod alteri nulli concessum est, hoc concessum est ipsis, ut simul sint in primo & tertio gradu propinquitatis.

3. Inest Vnio inhæsionis, quæ Vnio in hoc à prioribus differt, quod priores solam coëxistentiam, hæc autem dependentiam significet Vnius ab alio. Sic autem se habet digitus & cera; volucris, & viscus; lignum, & gluten; amici inter se, homo & Deus, & in particulari IESVS & IOSEPHVS, quibus accommodo illud Deuteron. 10. v. 15. *En Domini Dei tui cœlum est, & cœlum cœli, terra, & omnia quæ in ea sunt: & tamen patri tuo conglutinatus est Dominus, & amavit eum elegitq; semen post eum* hoc est vos (IOSEPHI imitatores) *de cunctis gentibus sicut hodie comprobatur.*

4. Inest Vnio conversionis; qualis est inter vitem & palmites, copiosum Vinum & aquæ guttulam, ignem & lignum, alitum & alimentum. At hæc haud dubiè 1, & per se fuit inter IESVM & MARIAM utpote in qua VERBVM CARO FACTVM EST, *& habitavit in nobis.* Ioan. 1. v. 14. Sed tamen proximè IOSEPHVM affecit hæc ipsa Vnio cuius palmes, aquæ gutta, lignumq; ipse fuit. Alimenti quoque vicem Almus pater persæpè præbuit, nihil magis optans quam vt fieret frumentum Christi.

5. Inest Vnio naturalis, sive quasi naturalis, non quidem animæ cum materia; neque naturæ cum supposito; neque accidentis cum subjecto; sed tamen membri cum capite, quod est Christus: hæc

hæc autem Vnio hæc habet 1. ut IOSEPHVS qui membrum eſt in omnibus ſubſit Chriſto. 2. ut alijs, quibus Chriſtus non delegat poteſtatem, non ſubſit. 3. Vt memoriâ, intellectu, ac voluntate, tanquam re propria & independente, careat: hæc enim ad caput ſpectant. 4. Vt influxum recipiat à capite, ſine exceptione, dilatione, defectu, &c.

ELOGIVM LXXXIII.

IOSEPH

Vnum quid cum MARIA.

NOn te teneo Lector, ſed ſyllogiſmô unicô perſuadeo, quod dico, Vir eſt unum quid cum uxore ſibi deſponſata, Atqui IOSEPH eſt Vir, MARIA eſt eius deſponſata uxor. Ergo IOSEPH eſt unum quid cum MARIA, Atqui ſi unum quid eſt cum MARIA, communem habet dignitatem cum illa. Eſt autem dignitas eius dignitatum omnium maxima, Eſt ergo IOSEPH ex hoc cum MARIA coniugiò dignitatem omniũ maximam conſecutus; cuius vindicandæ cauſa hac in arenâ cum quocunque lubens congrediar.

Verùm hìc illico neſcio quis opponit ſe mihi, & ánne exclamat; unum quid vir ille cum uxore ſua eſſe poteſt, quando non ſunt duo in carne unâ? quod tamen exigitur. Geneſ. 2. v. 24. Matth. 19. v. 5. Marc. 10. v. 1. ad Cor. 6. v. 16. ad

Ephes. 5. v. 31. Atqui nunquam IOSEPHVS & MARIA fuerunt duo in carne una per copulam carnalem, ſicut nec fuêre David & Abiſag Sunamitis. vti enim 3. Reg. 1. v. 4. legitur *Rex verò non cognovit eam* ita habetur Matth. 1. v. 24. *Et non cognoſcebat eam donec peperit filium ſuum primogenitum.* Ergo nunquam IOSEPH poteſt eſſe, credive, unum quid cum MARIA eſſe. At ego hominem hunc etiam levi, quod ajunt, brachio repello. Nam an non legit. Act 4. v. 32. *multitudo autem credentium erat cor unum, & anima una?* Atqui ubi cor unum, & anima una, eſt eatenus caro una. Non ergo ſolum duo, ſed tota credentium multitudo poteſt eatenus eſſe in carne una. Ad hæc verò, an eſſe poteſt homo doctus qui tot diverſis Scripturæ locis Deum repetentem hæc verba *Erunt duo in carne Vna*, reſpexiſſe cenſeat Viri & Mulieris cōmixtionem? Certè me hoc, quod profiteor docendi munus non ſinit. Nam 1. perbrevis eſt ea actio. 2. Localis tantum, & per contactum. 3. Vitalitatis propriè dictæ expers. 4. Multis alijs commixtionibus ſuperatur; vbi tamen plura non dicuntur propriè in carne una eſſe.

Inſuper eô haud dubiè ſenſu hæc ſunt à Deo prolata verba, qui communis eſt omni matrimonio cuius naturam explicat. Atqui talis non eſt vnitas commixtionis, quia hæc in matrimoniô ratô, & inter Virgineos coniuges non habetur. Vel ergo IOSEPH & MARIA non ſunt duo in carne vnâ; vel ſi ſunt, commixtio ab hac maris & fœmi-

næ

næ vnitate procul amandari poteſt. At ſunt IOSEPH & MARIA adeò unum quid, vt nullum unquam coniugum par magis unum fuiſſe exiſtimem.

Huius rationes ſunt, 1. Quia ipſe Deus prodigiosè hoc ſolum matrimonium coniunxit, ut Elog.8. ex Patribus probavi. 2. Intereſt deinde Dei, ut hanc coniunctionem in manu forti & Brachio extento tueatur, ne â quoquam diſſolvi poſſit. 3. Ipſi contrahentes nihil minus volunt, aut velle poſſunt, quàm diſſolutionem initi matrimonij, maximê poſtquam Angelus Matth. 1. v.20. dixit; IOSEPH *fili David noli timere accipere* MARIAM *Coniugem tuam*. 4. Idem in ijs in quibus alij inter ſe plurimum diſcrepant, ſumma conſenſione omnium auctorum invicem convixêre. 5. Se ſuóque omnia referebant immediatè ad altiſſimum finem, qui Chriſtus eſt, & ferè ſemper in oculis vtriúſque, ne dicam animis, verſabatur. 6. Nulla unquam conjux plura, & majora bona, viro ſuo obtulit, atque attulit MARIA IOSEPHO. quod quidem probatu difficile non eſſet. Sed contentus eſſe volo autoritate S.Bernardini. Sen. in ſerm. de laudibus IOEPHI ubi, *cum omnia*, inquit, *quæ ſunt Vxoris, ſint viri, credo quod Beatiſſima Virgo, totum theſaurum cordis ſui, quem* IOSEPH *recipere poterat, ei liberaliſſima exhibebat*. At ô mi Deus! quam magnus eſt theſaurus cordis MARIÆ! & quàm multum inde recipere IOSEPH poteſt! 7. nulli unquam prole nobiliore donati fuerunt, nullique plus pro eadem laboravêre, timuêre, ac paſſi ſunt,

eo

eo enim labori timor, ac passio gravior est, quo id est maius cujus causa labor, timor, & passio suscipitur. At nulla unquam proles Maior IESV fuit, nulláque charior parentibus. IESVS ergo se ipso univit, inter se, & sibi, hos suos parentes. Sunt ergo propter ipsum maximè unum quid inter se.

ELOGIVM LXXXIV.

IOSEPH

Amabilissimus Deo, Deiparæ, & Angelis.

PLus ne sit amari, quàm amare, problema non ignobile esse potest. Sed mihi, si, quod præ manibus est, intuear, utique plus est IOSEPHVM summè amari â Deo, Deiparâ, & Angelis, quàm vicissim ipsum amare istos. Quapropter cùm iamiam proximè consequens Elogium explicaturus essem, repentè verto vela, & primas amori illi, quò Deus, Deipara, & Angeli amaverunt IOSEPHVM, do.

Occurrit autem initiò statim Salomon. 2. Reg. 12. v. 25. qui primus cognomen accepit, *amabilis Domino, eo quod diligeret eum Dominus.* At quanto magis, inquiebam ego, hoc idem meretur IOSEPHVS meus, longè supra Salomonem amabilior Domino IESV? Certè de amore eius in IOSEPH, Paulus Barry cap. 5. Alim. Piet. mihi fol. 65. hæc habet. *Dubitandum,* inquit, *non est, quin Redemptor*

demptor Mundi multò maiori IOEPHVM *sit amore complexus, quàm Dei Mater potuit, quovis ipsum impendiô amare: amor enim, quo* IESVS *illum prosequebatur, omnem fidem excedit, neque Angelus pro dignitate explicare illius magnitudinem potest.* Succumbit ergo multo magis animus meus. Et tamen tacere me non ſinit ô IOSEPHE amor tui, quô exardeſco. Dum ergo modicum, quid balbutivero de te, tu interea manifeſta te ipſum mundo, & amoris partem, quo te IESVS amavit, ſingulis lectoribus meis impetra.

Ac 1. qui IOSEPHVM amat, IESVS eſt, adeo amare Lazarum hoſpitem ſuum ſolitus, ut exclamarent Iudæi. *Ecce quô modo amabat eum?* Ioan. 11. v. 36. At quantò, hoſpite maior eſt IOSEPHVS. 2. Idem Ioanni amore ſuô perpetuum hoc epigramma ſcripſit: *Hic est diſcipulus, quem diligebat* IESVS. Atqui *non est utique Diſcipulus ſupra Magiſtrum.* Ergo neque Ioannes ſupra IOSEPHVM eſt: hunc enim alio quàm Magiſtri nomine compellaviſſe videtur. 3. Hic ipſe IESVS ab æterno Patre meruit audire. Marc 9. v. 6. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* At debet ad hunc amorem proximè accedere amor Filij in Patrem IOSEPHVM. Veroſimile ergo eſt, aut dixiſſe, aut, quod ſatis eſt, cogitaſſe IESVM. *Hic est Pater meus chariſſimus. Hic est Pater meus dilectus, in quo mihi complacui.* 4. Nemo præcepta Dei, quàm Filius Dei obſervavit magis. Supra omnes ergo IESVS Patrem ſuum & amavit, & honoravit.

5. Opti-

5. Optimum amoris pabulum mutua beneficentia est. Poteſtne autem, tum IOSEPHI, tum IESV beneficentia, magis aſſurgere? Eſt namq; IESVS Salvator IOSEPHI, ut omnes norunt; eſt viciſſim IOSEPHVS, Salvator eiuſdem Salvatoris ſui, utpote quem ab Herode voluntariô exiliô liberavit.

A IESV autem ad MARIAM abeo, cui itidem amabiliſſimus ſemper viſus fuit IOSEPHVS. Fuit enim, ut primos ſolum titulos amoris ſupremi referam, Vir MARIÆ & Sponſus, & Cuſtos, & Dominus, & Paterfamilias, & Ductor, & Procurator, &c. Simul autem accedunt & maxima illa nomina, quæ â IESV paternâ ſuâ providentiâ meruit, ut adeò nulli debeat mirabile videri, MARIAM ne quidem in hac cœleſti vitâ, amoris olim in ſuo corde flagrantis pertæſam eſſe, ſed amare magis magíſque hunc ſuum IOSEPHVM, tot ſibi nominibus obſtrictum.

Sed neque præterire debeo Angelos, quos IOSEPHO non ſolùm ut Cuſtodes, ſed etiam Miniſtros amor eiuſdem dedit. Hinc ei non minus quater in ſomnis apparuère. Hinc euntem duxère, & reduxêre. Hinc Muſico concentu, Paſtorúmque ac Regum adventu, recreavêre. Hinc æmulatione miniſterij Ioſephini accenſi, cum alibi non poſſent, fuerunt ipſi IESV ieiunantis IOSEPHI. Matth. enim 4. v. 11. *acceſſerunt Angeli & miniſtrabant ei.* Et quidni accederent, quò accedere IOSEPHVS ipſe non potuit, quia prohibebat locorum

rum distantia, MARIÆ cura, negotiorum moles? Et nempe hoc amantium proprium munus, ut eadem facere gestiant, quæ fecerunt illi, quos amant. At nihil magis consueuerat IOSEPHVS, quàm accedere ad IESVM, & ministrare ei. Ad idem ergo Angelos suus in IOSEPHVM amor, etsi cætera defuissent, abundè impellebat, &c.

ELOGIVM LXXXV.

IOSEPH

Amore divino flagrantissimus.

PRobémne id quod ex ijs, quæ dixi etiam tacente me, clarissime sequitur? Et quomodo probem? Illud quidem necessarium est, quia forte quæ dixi, memoriam fallunt. Modus autem multiplex esse potest; ac præcipuè ille à Graciano usurpatus l.2.c.3. dignissimus luce videtur. Sed ab eô me avellit MARIA Mater Dei, quam ut illaudatam prætermittam, nemo minùs, quàm IOSEPHVS vult. Et possum tamen utrique collatitiâ operâ facere satis.

Igitur fundamenti locô sic argumentor. Quô gratia est maior, amor est maior. Atqui, quò quis propius accedit ad Christum, qui est principium gratiæ, eò est gratia maior. Ergo etiam in illô amor est maior. Atqui post MARIAM proximè accedit ad Christum IOSEPHVS. Ergo amor IOSEPHI est proximè comparandus cum amore MA-

MARIÆ, inter quem & amorem aliorum Sanctorum ille dici potest horizon. Atqui hoc fieri non potest nisi amorem MARIÆ propius contueamur. Sed ô MARIA illumina patrociniô tuo ac corrobora mentem, ut possim.

1. Amor MARIÆ cœpit, cum primum cœpit MARIA esse. Ita communior Theologorum. Ratio est, quia accommodantur illi verba Psalm. 86. v. 1. *Fundamenta eius in montibus sanctis*, hoc est, supra Sanctos, aut si malis in potentiâ Patris, Sapientia Filij, Bonitate Spiritus S. Itemque illa alia Ecclesiastici 24. v. 25. *In me gratia omnis viæ & veritatis*. Atqui fundamenta & via tunc incipiunt, cum incipit MARIA esse. Ergo. 2. Amor MARIÆ, cùm primum MARIA cœpit esse, excessit perfectione suâ cuiuslibet Viatoris amorem. Ita Suar. in 3. p. disp. 18. sect. 1. Ratio est, quia ad MARIAM spectant Isaiæ 2. v. 2. verba. *Et erit in novissimis diebus, præparatus mons Domini in vertice montium, & elevabitur super colles, &c.* 3. Amor MARIÆ etiam incipiens meruit de congruô maternitatem Dei, unà cum gratijs Maternitati convenientibus. Atqui Maternitas hæc est suprema dignitas creata. Ita Card. de Lugo de Incar. disp. 8. sect. 6. in fin. Ratio est, quia iam tum præparabatur à Spiritu S. ut dignum Filij Dei habitaculum effici mereretur. 4. Amor MARIÆ, ex quô tempore cœpit, deinceps continuus fuit, etiam somni tempore. Ita Vasq. 1. p. disp. 118. cap. ult. Ratio est, quia ipsa significatur per Rubum, qui ardebat in-

com-

combustus. Atqui quod ardet, & non comburitur, semper ardet, quia semper adest causa ardendi. 5. Amor MARIÆ pervasit omnes corporis & animæ vires. Ita SS. Patres, Hieronym, serm. de Assumpt. Virg. Ildephons. itidem in serm. de Assumpt. & Bernard. in serm. Signum magnum. 6. Amor MARIÆ ferventissimus fuit. Ita S. Bern. cit. loco inter alia inquiens: *nihil in eâ, non dicam, tenebrosum, vel minus lucidum, sed ne tepidum quidem, aut non ferventissimum liceat suspicari.* 7. Amor MARIÆ fuit semper secundum plenitudinem charitatis, ita ut subsequens actus plus meruerit, quàm præcedens; & saltem postremus longè excesserit omnium Sanctorum simul sumptorum qualescunque amores. Ita Suarez Sect. 4. qui hoc incrementum explicat per dupla proportionalia singulis instantibus correspondentia; quæ fortasse alij rectiùs negant secuti cursum naturæ intensionem continuantis, si nihil obstet. Interim tamen Ratio assertionis est, quia *multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.* Prov. 31. v. 29.

Sed jam obsecro te, qui hæc legis, refer animum ad præstructum fundamentum. Ejus vi IOSEPHVS accedit proximè ad dignitatem MARIÆ. Ergo etiam proximè accedit ad gratiam & amorem MARIÆ. Atqui non desunt Sancti, qui in utero sanctificati fuêre, cœperúntque illico ardere amore divino, etiam in somno, ijdemq; postea multiplicârunt, actus amoris Dei per brevi spatio supra hominum finem; & in dies intensius

R ope-

operati sunt, adeò ut totâ die Deum exquirerent, & nihil aliud cogitarent, loquerentur & cuperent, quàm placere Deo. Quid ergo dicamus de amore IOSEPHI? Accipe compendium. *Maior est super amorem mulierum, etiam Magdalenæ: maior super amorem Discipulorum, etiam Ioannis: maior super amorem Apostolorum, etiam Petri: maior super amorem Angelorum, etiam Seraphim. Vis autem causam scire? Pater est IESV, & MARIæ Vir. Quò nemo aspirare potest, nisi amore divino sit flagrantissimus.*

ELOGIVM LXXXVI.

IOSEPH

Summè conformis Voluntati divinæ.

IVngamus matri filiam, amori, inquam, divino, conformitatem cum voluntate divina; quæ tam pretiosa est in oculis Dei, ut nos quodammodo deificet. Vide enim, quid dicat Apost. 1. ad Cor. 6. v. 17. *Qui adhæret Domino, unus Spiritus est cum illo.* Nempe sicuti Rex Legato suo non solùm voluntatem, sed etiam auctoritatem communicat; itemque sicut sigilli & ceræ eadem est figura, ita homo Deo per consensionem voluntatis exhibet nobis ipsum Deum, Deique sapientiam, quæ ad Hebr. 1. v. 3. vocatur figura substantiæ eius. Sic certè Deus Exod. 7. v. 1. ad Moysen dixit. *Ecce constitui te Deum Pharaonis*; quia nempè obedisti voci meæ, iam nunc

etiam

etiam potestatem tibi meam impertivi, alterúmque Deum meo loco renunciavi. At quanto conformior cum voluntate Dei fuit IOSEPH noster? Longè igitur certiore iure dicendus erit nobis Deus Mundi. Sicut enim Moyses per hoc, quòd divinæ fuerit interpres Voluntatis, coram uno Pharaone, eius deinde Deus appellatus est, ita IOSEPHVS agens causam totius Mundi, Dei loco, meretur dici Deus Mundi.

Ad hoc utique essentialiter intelligendum non est, pro ut olim illuminati quidam, Rusbrochio teste, in lib. de alta Contempl. volebant, sed accidentaliter tantùm, aut moraliter substantialiter iuxta Elog. 76. Non est tamen etiam ipsa hæc qualiscunq; Deificatio momenti exigui res. Cur enim ipse Dei filius Patrem rogaret Ioan. 17. v. 21. *ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint?*

Proinde nulli utique grave erit, doceri à nobis, quî se aliquis possit conformare perfectè cum voluntate Dei. Id autem, quam brevissimè præsto. 1. Nihil debeo velle, quod prohibet Deus. 2. Nihil debeo velle, quod minùs placet Deo. 3. Debeo velle idipsum, quod vult Deus. 4. Debeo velle, quia vult Deus. 5. Debeo velle & affectu, & modo, quò vult Deus. De quibus gradibus consuli ulterius potest S. Bernard. apud Rosignol. de Discipl. Christ. Perfect. l. 5. c. 24. & Corn. in Epist. 1. ad Cor. 6. 17.

Verùm non suffecère hi licet altissimi gradus.

IOSEPHO nostro; sed ultra illos longè adhuc sublimius evolavit ad Deum, cuius voluntatem pro Cynosurâ habebat. Atque imprimis vivere sibi non videbatur, nec intelligere, nec velle, nec posse quidquam, sed, velut revertens ad statum possibilitatis, exclamabat ad Deum Creatorem suum, *Vtinam vivam secundùm voluntatem Dei!* 2. Voluntatem Dei insatiabili studio iugiter inquirebat, observans non solùm imperium, consilia, nutus, exemplum filij Dei, & sui; sed nunc MARIAM coniugem, quam à Secretis eiusdem intimis sciebat esse, nunc Angelos, nunc verò seipsum præmisso intellectus scrutinio consulens. Idque partim Evangelistæ, partim ingens, quam de MARIA IOSEPH concepit, opinio persuadent. 3. Insuper hoc eius præcipuum, imò unicum votum erat, ut omnes agnoscerent voluntatem Dei, & agnitam adimplerent, mensurâ scilicet bonâ, & confertâ; & coagitatâ, & supereffluente, Luc. 6. v. 38. Adhæc autem, ut ipse videret adimpletam voluntatem Dei. Quod quidem fortè aliqui, sat scio affectui magis, quàm Veritati tribuent. Sed hos meminisse volo testimonij MARIÆ Virginis per Brigittam toti mundo contestatæ, cui illa lib. 6. c. 59. post alias IOSEPHI laudes; *ipse etiam*, inquit, *sic mortuus erat mundo, & carni, ut nihil desideraret, nisi cœlestia. sicq; erat credulus promissionum Dei, ut continuò diceret, Vtinam vivam, & videam adimpletam voluntatem Dei!* Et rationem addit, *quia totum desiderium suum fuit obedire voluntati Dei.* Conclusitque.

Ideò

Ideo nunc gloria sua magna est. Ob hanc causam conformandi se Deo, omni morte acerbiora passus est. Ipsâ adeo sacratissimâ humanitate Christi, ac Matre Dei MARIA, quia sic placitum erat coram Deo, carere non recusavit. Quod mihi tantùm videtur, ut negem explicari posse. Manet igitur, ipsum fuisse summè conformem cum voluntate Dei.

ELOGIVM LXXXVII.

IOSEPH

Paupertatis studiosissimus.

VLlane alia Religio pluris faciat paupertatem quàm Societas IESV viderint alij. Mihi interim certum est, illam ab hac permagni fieri. Nam primò diligi vult, ut matrem, conservari ut murum; ut propugnaculum, defendi. Dein Professos singulos speciali voto obstringit, ne quid in ijs, quæ de paupertate statuta sunt, quavis occasione relaxent, itemque ne consentiant relaxantibus, etiam in conventu totius Societatis congregatæ. Demum verò talibus legibus circumscribit, quas olim tria suprema Religiosorum capita, IESVS, MARIA, IOSEPH observâsse videntur. Sed nobis hic de IOSEPHO tantùm sermo est.

Ille igitur paupertatis studio nihil proprium habuit. Ita Suarez in 3. p. Disp. 28. sect. 2. Ratio est, quia, ubi omnia communia sunt, nihil est proprium. Atqui in familia illa sanctissima omnia

(inquit) erant communia. 2. Administravit omnia, tanquam Patrimonium Christi, cuius œconomiæ præposuit ipsum Deus. 3. Semper vixit in aliena domo, & quidem plerisque vitæ annis in *Templo.* Nam quidni *Templum* dicam Nazarethanam Domum, postquam in ea Verbum Caro factum est? 4. Experimento peregrinationis longinquæ, quam nunc Societas IESV imitatur, omniũ primus paupertatem Religiosam periclitatus est. Est enim in eâ non pauciores ducentis leucis per desertum emensus; adijtque deinde Hermopolim ut Evagrius est auctor; tum Memphim, Heliopolim, Cayrum, Babylonem Ægypti, Tanaim quoque, Nitriam & Alexandriam, prout Brocardus, Abulensis, Ludolphus, & Saligniacus apud Tauschium de B. Matre dolorosâ l. 2. c. 10. referunt. Quin & magnam anni partem, dum Nilus totam Ægyptum inundaret, per duos minimum menses, Augustum & Septembrem, quotannis, huc illuc naviculis vectum esse, idem Tauschius, nescio quo vel teste, vel auctore commemorat. Quem tamen sua Virtus idoneum testem cuivis probaverit. 5. Superfluis omnibus illico abdicavit se, solis necessariis contentus. Ideóque B. Virgo apud S. Brigittam l. 6. c. 59. *Necessaria*, inquit, *provenerunt nobis quandoq; ex compaßione piarum mentium, quandoq; ex labore nostro, ita ut haberemus necessaria ad solam sustentationem, & non ad superfluitatem*, &c. 6. Nascente Christo, ob paupertatem, locum in diversorio, non potuit obtinere, sed ad commune pecorum stabu-

stabulum divertere debuit. 7. Eidem recens nato neque de pannis, neque de cunis providere potuit, quoad à Regibus munera acciperet; de quibus tamen ultra id, quod necessarium existimabat, non retinuit. 8. Paupertatem palàm professus est variis modis. Nam 1. nonnisi par turturum, aut columbarum pro coniuge obtulit purificationis causâ. 2. Artem fabrilem pauperibus propriam secutus est. 3. Vili amictu se suosque vestivit. 4. præcipuè peregrinationis tempore mendicato vixit. 9. Filio suo, ac coniugi, licet Charissimis, nihil prorsus tanquam proprium reliquit; non agrum, domum, (usu excepto) censum, pecora, ideoque 1. Filius non habuit, ubi caput reclinaret. 2. Persæpe mendicato vixit. 3. Idem prædicandi officio lassus, sæpè non habuit, qui se mensâ, lectóve exciperet. 4. MARIAM quoque alienæ charitati permittere debuit; quam proinde filius Ioanni, ceu alteri filio, commendavit de cruce. 10. Denique paupertatis comites, hoc est, ea quæ pauperibus propria sunt, ceu Sodales sibi gratissimos amplexus est per omnem vitam, satis sibi dives visus, si IESVM & MARIAM haberet, pro quibus contumelia, honor; nuditas, opulentia; dolor, voluptas; infamia, fama; exilium, patria; mors ipsa denique, vita videbatur. Nimirum media hæc sunt, non finis. At media per se amabilia non sunt, nisi in quantum finis est amabilis, & in quantum iuvant ad eum prosequendum. Certum autem est, in spirituali Regno Christi, & paupertatem, & pau-

pertatis comites, plurimum prodesse. IOSEPHVS ergo primus Christi discipulus, ijs se intimè associâsse credi potest; & præluxisse etiam minimæ Societati IESV, quæ eius ab exemplo paupertatem suam accommodâsse videtur ad officia eidem IESV placita.

ELOGIVM LXXXVIII.

IOSEPH

Castissimus.

SI S. P. N. Ignatius imitari suos voluit Angelicam puritatem, dubitari non debet IESVM in sua prima Societate voluisse, eam etiam à IOSEPHO quàm perfectissimè exprimi. At prius ostendunt Verba constitutionum Societatis p. 6. c. 1. §. 1. Verum ergo est & posterius. Probóque verum esse. 1. Nam imprimis habuit IOSEPHVS quod habent Angeli. Deinde habuit adhuc amplius aliquid, quod non habent Angeli. Excelluit ergo plurimùm Angelicâ puritate. Hæc consequentia evidens est, si tamen pars neutra antecedentis negari possit.

At negari non potest pars prima. Quia duo habent Angeli. 1. quod neque nubant, neque nubantur propter filios. 2. quod ne quidem potentiam habeant, ut nubant, aut nubantur. At hoc utrumq; in IOSEPHO est. Et de 1. nemo nunc, nisi impius, dubitat. Ait enim Damascenus, *hanc esse*

Eccle-

Ecclesiæ fidem, & assentiuntur Augustinus, Hieronymus, Anselmus, Chrysologus, Thomas Aquinas, & innumeri alij, ex quibus aliquos iam supra Elog. 14. laudavimus. At verò 2. probatur ex voto Castitatis nuncupato à IOSEPHO, de quibus itidem superiùs actum à nobis. Possum ergo ex doctrinâ Christi Marc.12. v.25. subsumere, IOSEPHVM adhuc in terris esse sicut Angelos in cœlis. Idque operosum non est etiam ex comparatione magis particulari illius cum his, deducere. Sicut enim carnem alienam spectat, tractâtque Angelus, ita IOSEPHVS suam aliamq; habet. Ambo expertes generationis sunt, Angelus quidem necessariò, sed IOSEPHVS liberè. Vterque fomite caret; ideoque ignem non concipit, nec propagat. Vterque fruitur purissimis voluptatibus ex amore Dei largissimè profluentibus. Vterque ad sui imitationem purissimam alios invitat, iuvat, ac pertrahit. Est igitur iterum IOSEPHVS castitate suâ sicut Angelus Dei.

Sed iam probanda est altera quoque pars, quæ castitatem IOSEPHI longè attollit supra Angelorum castitatem. Hanc verò probavit ante nos Gratian. l.4. c.2. hoc argumento. Illa castitas maior est altera, quæ est in carne mortali, & ex se generationis capace; cum altera tantùm sit in substantia immortali, ac generationis simpliciter incapace. Prior enim tantùm per gratiam, quæ utique perfectior est naturâ, habetur. Atqui castitas IOSEPHI est in carne mortali, & ex se genera-

tionis capace, & hoc quidem per gratiam; non est autem castitas Angelorum: Ergo maior est castitas IOSEPHI, quam Angelorum.

Verum ô Gratiane utut alijs hæc tua ratiocinatio efficax videatur, mihi tamen, & fortè alijs, minor videtur castitate IOSEPHI, quâm utique dum supra Angelos attollere cupimus, simul attollere supra homines debemus. At, si te audimus, non attollitur IOSEPHVS supra homines castos. Omnibus enim hoc commune est castitatis *thesaurum habere in vasis fictilibus*, 2. ad Cor. 4. v. 7. vel ut habetur 1. ad Thess. 4. v. 4. *possidere vas suum in sanctificatione*, hoc est, per gratiam. Habet ergo per te IOSEPHVS vi propositi argumenti communem cum hominibus castitatem.

At ego, ne quidem te ipso repugnante, laborem suscepi, constituendi IOSEPHVM, æquè supra homines, atque supra Angelos, nisi quid gravius obstet: nihil autem eiusmodi obstat, sed potius occurrunt aliqua, quorum intuitu omnes tum Angeli, tum homines substernent IOSEPHO palmas superatæ per ipsum Castitatis suæ. Ac 1. est, quia ipse solus post Deum patrem est Virgo pater. Cuius symbolum palma est, quæ ut fæcundetur, solâ comparis præsentiâ, non contactu, opus habet, 2. Vir, Custos, & Testis est matris Dei, ac coniugis suæ, semper Virginis. Id quoque palma significat semper virens, pulchra, excelsa, à morbis custodiens, victoriæ index, & quasi testis. 3. Primus est Virginum voventium. Quod itidem palma exprimit,

primit, quæ prima inter arbores salsa & arenosa terra, castigationem carnis significante, delectatur. At cujus unquam castigatio maior fuit, quàm IOSEPHI suum votum constringentis? cum enim à S.Tho. 2. 2. q. 188. a. 5. in c. septem modi tradantur muniendi castitatem, abstinentia; vigiliæ, contemplatio, studium scripturarum, exercitium per laborem, angustia, & solicitudo, in ijs omnibus supra omnes ipse excelluit. Idque si necesse sit ex ipsis SS. litteris existimo probari posse.

ELOGIVM LXXXIX.

IOSEPH

Obedientissimus.

IOSEPHVM nostrum, Christi typum, figuràmque clarissimam fuisse, certum mihi est. At fieri hoc nequaquam potest, nisi prima ac præcipua vitæ Christi exempla, præ cæteris omnibus ipse expresserit. Expressitne autem? inquies, & eorum nobis ideam perfectiùs designavit?

Ad hoc, ut respondeam, statuendum est fundamenti locô id quod Suarez docet, & res ipsa loquitur. Christum prima ac præcipua vitæ suæ exempla in obedientiâ constituisse. Conceptus est enim ex obedientiâ Patri debitâ per obedientiam Virginis. Ita deinde natus, educatúsq; est, obedientiâ puerum, iuvenem, virúmque assiduè regente. Ac demum functus ex obedientia prædicandi labore, eius

eius consummandæ causâ crucem, ceu thronum proprium, conscendit, ibique spiritum suum, ac vitam, ut hostiam, victimam, & holocaustum, eidem obedientiæ impendit. Vis ergo nunc scire, an IOSEPHVS, prima, ac præcipua Christi vitæ exempla, tanquam typus figuráque clarissima, præ quibuscunq; aliis, expresserit, respice obedientiam viri, quàm fuerit similis obedientiæ Christi.

Ac mihi quidem ea visa est, esse quàm simillima, sive ut verbis exprimam, quibus eam opinionem concepi, tam est visa similis obedientiæ Christi, quàm est dissimilis visa obedientiæ nostræ. At est certè dissimillima nostræ. Est ergo longè simillima obedientiæ Christi. Hîc ego præter minorem hanc postremam, quid probem, invenio nihil. Eam verò si probare velim ac debeam, melius certiúsq; non possum; quàm si quisque nostrûm suam cum obedientiâ IOSEPHI componat. Quia tamen comparatio hæc odiosa quibusdam videtur, ideo, per me licet, ipsam, prout esse debet, obedientiam intueamur.

1. Peculiari voto se Deo ac Prælatis obligat Obedientia 2. Idem votum exequitur. 3. Vltra votum extendit se ad ea, quæ sine præcepto Superiores exigunt. 4. Modò convenientе perficit mandata; hoc est libenter, simpliciter, hilariter, fortiter, velociter, humiliter, atque constanter. 5. Iungit operi voluntatem. Tandémq; 6. cœcâ quadam subiectione imperata omnia ad amussim facit.

Vbi

Vbi nemo non videt aperiri mihi latiſſimum campum, in quo de Chriſti, IOSEPH, ac noſtrâ obedientiâ philoſophari diutiſſimè poſſim. Verùm ſuccumbit oneri mens mea; dictatque ratio, ut theſauros, alicubi latentes ſolùm commonſtrem, effodiendos & occupandos ab aliis, quibus mea indicia non diſplicent.

Sed tamen, ne dum ipſi diteſcunt, egeam ego, placet intueri oculatiſſimam illam cœcitatem, quæ obedientiam in ſupremô faſtigio iuxta Doctores myſticos conſtituit, traxitque imprimis IOSEPHVM noſtrum in amorem ſui. Pone ergo te in ijs occaſionibus, in quibus ille fuit; eodemne modò, tu quoque cæcô impetu illico ad ea amplectenda prorueres, ad quæ ſe totum ſine morâ effudit IOSEPH? Nonne, inquam, hyemem, opificium, iter, puerperium uxoris proximè inſtans obtenderes? Nonne hominum Deique fidem implorares, ne te ac familiam tuam ſtabulò, ceu iumentum adiudicarent? Nonne Filium, Legis Dominum ac prorſus innocentem ſubduceres Circumciſionis legi propter nocentes latæ? Nonne profectionem fugamve in Ægyptum cauſareris eſſe probroſam tibi, ac tuis? Nonne mille modos alios, quibus iuvari poſſes, obtenderes? Nonne opponeres id, quod paulò ante dixerat Angelus? *Ipſe autem ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Nonne ſaltem locum, tempus, modum, exilij commutari velles? Nonne hoſtium tuorum mortem frequentibus ad Deum precibus maturares? Nonne deni-

que

que vitam à filio vitæ tuæ Domino longiorem posceres? At horum nihil IOSEPHVS opposuit; & sciebat tamen ijs longè plura; sed velut alij captivant intellectum in obsequium fidei, ita ipse se in obsequium IESV captivavit, imò immolavit, factus obediens usque ad mortem, & carentiam nudissimam omni morte acerbiorem.

ELOGIVM XC.

IOSEPH

Patientissimus.

DVbitare non possum, aliquos ex ijs, qui hæc lecturi sunt Regiam Crucis viam inter ærumnas varias pertransire. Quorum Dux utique IESVS est. Sed is exultavit ut Gigas ad currendam hanc viam, ut, nos pumili, haud æquis passibus sequi præeuntem possimus. Igitur ô IOSEPHE sis tu Dux viæ nostræ. Qui enim sequitur te, sequitur utique IESVM, quem ipse secutus es. At sequi nemo potest alterum in arenosô loco, nisi probè ipsum & vestigia respiciat. Agite ergo unà mecum, & in IOSEPHVM oculos animúmque intendite. Cuius patientiam Iosephina palma (liber est Germanicus Augustæ recentissimè impressus) coronavit rosis decem; at vero Gratianus sæpe cit. duodecim præcinxit. Ego autem, qui patientiæ Iosephinæ candidatis præcipuè faveo, adhuc ijs omnibus rosas alias quatuor adiungam, solatio si-

mul

mul & exemplo eorum, quotquot ſimile theatrum ingreſſi ſunt, ſpectaculum facti Deo, Angelis, & hominibus.

Quòd ergo bene vertat Deus, eſt IOSEPH roſa primâ *Labor*, quod IOSEPH ipſo corporis cultu, calloſis manibus, exercitato vultu, prout eſt fabrorum mos, intrepidè coram omnibus profitetur, & vide ſis, quàm hæc placeat roſa divino IESV. Simul enim apparuit in terrâ noſtra, cucurrit in odorem eius, & aſciam, bipennem, & dolabram ipſemet apprehendit Patrem imitans, iure ut dici poſſet, fabri filius. *Altera* roſa *Zelus* eſt domus Dei, quæ per id tempus, quo Chriſtus eſt natus, pænè iam conciderat. Iam enim auctione publicâ vendebatur Sacerdotium; Templum profanabatur; Miniſtri, ambitione, gulâ, ac libidine æſtuabant. Hæreſes diverſæ eandem domum à fundamentis convellere videbantur. Aſpicit autem hæc omnia IOSEPHVS Fabrorum maximus; & incitante Zelo exclamat ad filium. *Quis mihi det, ut reædificem domum Domini Dei noſtri?* Verùm diſſimulat audire Patrem filius offerens pia ſeveritate roſam tertiam, quæ eſt *Anxietas cordis*, non iam decerpta de domo aliqua, ſed de MARIA Virgine, civitate refugij. At quantò civitas eſt pretioſior domô? Atqui tamen vix illam cuſtodiendam ſuſcepit IOSEPH; & ecce! intimam eius partem, uterum inquam, occupat ipſe cuſtodis cuſtos Deus, cui claves totámque curam dum cedere cupit, angitur animo, ne graviter delinquat.

At

At ſucceſſit roſæ quartæ locô, *Triſtitia crudele animarum tormentum*, ut Chryſoſt. epiſt. 8. ad Olympiam loquitur; & iudicium *omni iudicio vindictâq; deterius*. Cui pabulum ac materiam dedêre graviſſima impendentia mala, quæ evitare nullis molitionibus poterat. Simul autem ultro in caput IOSEPH involârunt tres aliæ roſæ; pro roſis enim habet patiens, quidquid patitur pro Deo; nempe *Tædium* in peregrinâ terrâ; *Timor* propter Archelaum; *Mæſtitia* ob Chriſtum toto triduo fruſtra requiſitum. Sed non ſufficiunt corollæ noſtræ; roſæ hactenus decerptæ. Igitur *Vulnus* Filij in circumciſione octavam porrigit; datque nonam tranſiens cor matris & ſuum *gladius* Simeonis, relicta immani plaga. Tum verò decima *pudore contemptúq;* conſurgit, trahens poſt ſe *Paupertatem* ſæpe neceſſariis deſtitutam. Quæ quidem *Paupertas* undecima roſa eſt; à paucis cognita, IOSEPHO tamen tantopere adamata, ut tanquam cœleſte munus amplectatur. Et annecti duodecimo locô debet *Terror*, quo cùm primùm ſe fugæ dedit Ægyptum verſus, totis artubus contremuit; nunc reſpiciens retrò, nunc aures ad remotos clamores arrigens, nunc accelerans gradum, nunc filium pectori adſtringens. Terrorem ſubinde multiplex *moleſtia exilij* excepit; quam neque lenire potuit Pſal. 136. Acceſſeruntque poſtea per omnem vitam varij corporis *dolores* & *afflictio mentis* multiplex, ex itineribus, periculis, inſidijs, infortunijs, perſecutionibus provenientes; donec tandem roſarũ ultima;

ſed

ſed Deo gratiſſima *agonia* ſimul omnia, etiam Chriſtum vitæ gratiæq; auctorem ac MARIAM dulciſſimam coniugem abſtulit. At eſt agonia reluctatio ſenſualitatis non ſuſtinentis ſibi auferri conveniens bonum. Bonum autem, quo IOSEPHVS fruebatur, fuit ipſi convenientiſſimum. Fuit ergo etiam agonia eius longè graviſſima; cui perferendæ par eſſe aliàs non potuit.

ELOGIVM XCI.

IOSEPH

Humillimus.

QVò Signum quid eſt evidentius electorum, eô pluris idem fieri meretur. Atqui, ut ait Gregor. l. 34. moral. *evidentiſſimum ſignum reproborum eſt ſuperbia, electorum verò humilitas.* Humilitas ergo plurimi fieri meretur. Atqui inter electos tertiò ſtatim loco IOSEPHVS eſt. Eius ergo humilitas humilitati IESV ac MARIÆ qui electorum capita ſunt, debet eſſe viciniſſima. At non cognoſcunt multi aliam IOSEPHI humilitatem, quam quæ pro vilitate accipitur, & in fabro, cui ne quidem in diverſorio locus eſt, hoc ipſo maxima eſſe debet. Si ergo velim, ut deinceps humilitatem, quatenus virtus eſt, eidem IOSEPHO altiſſimam tribuant omnes, de illa quoque dicendum mihi erit.

Eſt autem humilitas virtus inclinans homi-

nem, ut se subijciat Deo. Ita S. Thom. 2. 2. q. 161. a. 2. ad 3. & S. P. N. Ignatius in lib. Exerc. Sp. de 5. Gradib. humilitatis. At eò quis se magis subjicit alteri, quò alterum magis attollit, séque sub illo, sive respectu illius, magis deprimit. Atqui nemo magis unquam extulit Deum, nemóque se depressit magis, atque IOSEPHVS. Vides ergo, non tam voluntate, quàm necessitate argumenti, cogi me tribuere eidem humilitatem altissimam, etiam in ratione virtutis. Sed tamen ne consequentia hæc per se quidem manifesta, verùm præmissis innixa earum vitio concidat, probo ego minorem, quæ una ruinæ propior videri posset.

Ac 1. quanto magis iustus Deum cognoscit, tanto magis extollit Deum, atqui IOSEPHVS iustus, magis, quàm alij, Deum cognovit. Cognovit enim, ut in Elog. 75. dictum est, intuitivè essentiam eius, quantú viatori fas est, cognovit & abstractivè essentiam eius, per contemplationem, institutionem, revelationem IESV, MARIÆ & Angelorum; cognovit denique ex ijs, quæ incarnationem Dominicam circumstetêre, miraculis ac virtutibus, quæ ceu radij solem latentem, Dei maiestatem clarissimè ipsi demonstrabant. Ergo IOSEPH iustus, magis, quâm alij, extulit Deum, quod prima pars probandæ minoris dicebat.

2. Ille se magis sub Deo deprimit, qui cum sit dignus summis honoribus, eius causâ repudiat omnes, minimo contentus. At est IOSEPHVS haud dubiè summis honoribus dignus, tum merito

virtu-

virtutis, tum dignitatis, & tamen repudiat omnes, minimo contentus. Ergo nemo magis se, quàm IOSEPHVS unquam depressit: quæ fuit pars altera eiusdem minoris.

Hic autem unà mecum interiunge pauxillum, & eum, de quo agitur, IOSEPHVM subtilius discerne. Est ille nobilissimo, & antiquissimo Regum sanguine natus; est aviti regni genuinus hæres; est Pater Regis Regum; maximi Filij Dei; est Sponsus ac Vir MARIÆ; Dominæ supremæ; est amicus ab Oriente profectorum Magorum; est Cognatus Summi Pontificis, & magnatũ Iudæ, qui familiam David inter divitias honoresq; eà adhuc ætate sustinebant. Et tamen velut oblitus horum omnium, tantopere exinanivit se, ut mallet faber esse ac videri, formam servi vilissimi accipiens, & ad extremum usque in summo omnium contemptu retinens.

Sed tu hæc apud te penitius exputa. Ego autem idipsum adhuc aliter ostendo. Nempe is deprimit se magis, qui se magis subjicit ei, qui se depressit ad infimum locum. Atqui IOSEPHVS maximè se subiecit Christo, qui se ad infimum locum depressit. Ergo ipse se magis, quàm alij, depressit. Minor probatur, quia permisit excludi se domo, qui tot antè domus fabricatus est; quia in præsepi adoravit Deum hominem, qui in cunis imò throno facilè potuisset; quia inter aulicos nati Regis primos omnium pastores adlegit, ac deinde primùm Orientis Reges; qui Angelos de cœlo ad-

vocare potuit; quia etiam ignotus, exul, ac contemptus, omnem reliquam ætatem exegit, qui celebrari honorarique ab omnibus merebatur.

Multa equidem hic alia omitto humilitatis argumenta. Verùm hæc quæ dixi, adamatæ breviati sufficiunt. Et tu ipse aspicere potes IOSEPHVM fabrili operi intentum, simul Magistrum Magistri humilitatis, ac discipulum. Te quoque eundem in discipulum deposcit, si te eius non pudet, cuius non puduit Christum. At pudere non debet, inter hæc humilitatis exempla, nisi à præexcelsis filiorum Dei cogitationibus impudenter degenerare velimus.

ELOGIVM XCII.

IOSEPH

Exemplar totius Evangelicæ Beatitudinis.

ITerum gratias Gratiam debeo, qui l. 3. c. 5. Elogium hoc primus memoriæ prodidit, ac pertractavit. Sed IOSEPH tot est suarum laudum præcones meritus, ut licet eodem in stadio ego quoque circa eandem auriger metam, fastidio tamen non videar futurus.

Igitur Beatitudo Evangelica est status in Evangelio propositus proximè ducens ad Beatitudinem cœlestem, cui apprimè similis est. Sicut enim Beatitudo cœlestis consistit in cognitione clara, & intui-

intuitiva Dei, prout est in se, ita Evangelica consistit in cognitione eiusdem, prout est in speculo, & ænigmate. Vtraque etiam amorem parit; inamissibilem illa, & patriæ convenientem; hæc amissibilem, & propriam Viæ. Est tamen hæc quoque magnopere expetenda. Quàm parùm enim datur actio in distans nisi transito medio, tam parùm potest obtineri Beatitudo cœlestis, nisi prius habeatur Evangelica. Imò tanta est proportionaliter illa, quanta est ista. Cùm ergo ne quidem IOSEPHVM, Primalem Beatorum, renunciare possim, nisi eâ ipsâ Evangelicâ Beatitudine viatores alios antecellat, Beatitudines octo particulares, quæ totidem sunt Spiritus S. gratiæ atque virtutes uti Suar. l.2. de necessit. grat. censet, quàm brevissimè in eodem IOSEPHO, tanquam exemplari optimo, considerabo.

Est is 1. *Spiritu* tam *pauper* ut omni se dominio particulari rerum temporalium abdicârit; omne à se removerit eiusdem dominij desiderium; palàm professus sit vitam pauperum; præter necessaria nihil habuerit; ex ipsis tamen necessarijs, alijs pauperibus sæpenumerò subvenerit; eúmque in finem durissimo manuum labore, & quandoque etiam mendicato vixerit. Sed neque minus pauper spiritu quoad alia interiora animæ bona fuit; quia procul erat in ijs quoque dominium omne, procul desiderium dominij, procul usus independens, procul fruitio & complacentia. Quæ tamen metuo an omnes intellecturi sint, qui de Mystica

Theologia minus ſoliciti ſunt. At IOSEPHO ne quidem iſta interior Spiritus paupertas deeſſe potuit; quia mens eius in uno Deo abſolutè & finaliter amabili ſemper quievit. Vt adeo iam tum, cum nobiſcum eſſet, Regnum cœlorum, quaſi anticipatò poſſidere cœperit in terra. 2. Idem fuit inſtar Moſis vir mitiſſimus ſuper terram, ne quidem contra filium paterni doloris cauſam, cùm Ieroſolymis ſubſiſteret, mutire auſus. Atque propterea MARIA Virgo omnium conſcia, nullum unquam ab eius ore murmuroſum verbum, aut iracundum auditum eſſe; ut in Revel. S. Brig. l.6. c.59. habetur. Quare terram præ quam alius poſſidet: ſive deinde eius nomine intelligas Cœlum, quod eſt terra viventium. Pſal.26. v.13. ſive mundum hunc noſtratem, quem precibus ſuis apud Deum ſuſtinent mites, & ut cum poteſtate regant, aptiſſimi ſunt, utpote victores ſui. 3. *Luxit* etiam IOSEPHVS peccata, non quidem ſuâ, ſi eorum expers fuit, ſed aliena populi ſui, illa precipuè, quæ circa perſonam Filij Dei, ex ignorantiâ, paſſione ac malitia quotidie fiebant. Cui tunc ita lugenti haud dubie conſolationis loco, dulciſſima hæc verba oppoſuit, is ipſe Filius. Ego ſalvum faciam populum meum à peccatis ſuis. 4. Non minus *eſurivit & ſitivit iuſtitiam*, ut enim S. Thom. 2. 2. q. 139. a. 2. explicat, intelligitur ibi inſatiabile deſiderium, tam particularis, quàm univerſalis iuſtitiæ. At fuit IOSEPH ſupra Danielem *Vir deſideriorum*, ut ex dictis colligi poteſt. Fuit

ergo

ergo unus omnium maximè ſaturatus. 5. Inſuper imitatus proximè eſt *miſericordiam Dei*, ut dubitari non poſſit, ab eodem ſi pro nobis oret celerrimè audiendum. 6. Simul verò enituit *mundities cordis:* quidquid enim agebat, id nonniſi Iuſtitiæ ductu agebat, ad IESV ac MARIÆ exemplum, & voluntatem. Vidit ergo ſalutare Dei, & gaviſus eſt. 7. Ad hæc omnia *pacis* genera complexus, plus longè Salomone pacifico filiationem Dei intimam obtinuit, ſicut Pater, & Filius. Demum 8. *perſecutiones graviſſimas* non ſolùm *propter Iuſtitiam*, ſed etiam propter Iuſtitiæ auctorem promptiſſime paſſus eſt. Atqui ſicuti paupertas primò omnium aperit Regnum Cœlorum, ita patientia idem claudit, atque ſubſignat. Eſt ergo IOSEPHVS huius Regni Dominus ius habens aperiendi, & claudendi.

ELOGIVM XCIII.

IOSEPH

Summa Dulia dignus.

EST hic ætatis noſtræ genius, ut nulli ferè quiſquam credere, niſi legitimè teſtato velit. Parco igitur genio huic, & ego; & Cornelium à Lapide in 1. Matth. ad v. 12. Teſtem do, virum quolibet dignum foro. Is fol. 48. *Debetur*, inquit, *Chriſto cultus adorationis & latriæ, B. Virgini hyperduliæ;* IOSEPHO *ſummæ duliæ.* Additque verba mihi ac IOSEPHO aptiſſima. *Quo circa errat vulgus*

archa. At huic Gen. 41. v. 40. dixit Pharao. *Tu eris super domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet; unô tantum regni solio te praecedam.* Et 44. *Absque tuo imperio non movebit quisquam manum, aut pedem, in omni terra Aegypti, &c.* 2. quia ipsa Dei mater eum Dominum suum appellare consuevit. Imò ut Brigittæ l. 6. c. 59. revelavit, ad opera eius minima humiliavit se. 3. quia nec ipse Dei filius ei dedignatus est subesse. Luc. 2.

At 2. pro Paternitate summa, stat Suarez disp. 8. sect. 1. at Rationes sunt 1. quia Paternitas hæc IOSEPHI simillima est Paternitati Divinæ & æternæ, à qua ut ait Apost. ad Ephes. 3. v. 15. *omnis Paternitas in cœlis, & in terra nominatur.* 2. quia Paternitas dignitatem trahit à Filio. Pater enim & Filius correlativa sunt. Atqui Paternitatis IOSEPHI Filius est IESVS, Deus & Homo. 3. quia hæc eadem Paternitas est universalis, continens in se omnia Paternitatum genera, sola carnali exceptâ. Demum 3. pro sanctitate quoque summa Rationes sunt. 1. quia non nisi summa sanctitas accommodata est muneri, quod suscepit ab auctore sanctitatis, gessitq; propter eundem. 2. quia nemo post B. Virginem tot habuit media, motiva, exempla, atque occasiones adipiscendæ sanctitatis. 3. quia tanta est sanctitas, quanta est charitas Dei. Nullius autem charitas esse maior posse videtur, secundùm nobis cognitã Dei providentiam, quàm IOSEPHI. Et ego paulò antè, de hoc charitatis divinæ incendio, quantum satis esse potest, egi.

Igitur tria hæc, Dominium, inquam, Paternitas, & Sanctitas summa, verè competunt IOSEPHO.

Neque iam scio quid aliquis adhuc, nisi sui, quàm IOSEPHI amantior, opponere possit. At quis esse velit, nisi similis Hæreticis, quorum hæc non infima cura est, abrenunciare Sanctis. Hi sanè reipsa usurpare videntur illa fratrum Iosephi, de hoc nostro, verba Gen. 37. v. 29. *Ecce somniator venit, venite occidamus eum*, auferendo Religiosam memoriam eius, *& mittamus in cisternam veterem oblivionis. Dicemúsque fera pessima*, hæresis nempe, *devoravit eum: Et tunc apparebit, quid illi prosint somnia sua.* At ô mi Deus, averte impius has voces à tuo meóque IOSEPHO; quem Filius tuus, ac Mater Filij, per obedientiam ac reverentiam præstitam, non recusarunt adorare; quem etiam tu ipse tantopere polymità veste Virtutum ac Gratiarum exornâsti, ut dici possis diligere IOSEPH super omnes filios tuos, quemadmodum olim Israël suum v. 3. dilexit.

ELOGIVM XCIV.

IOSEPH

Postremis Ecclesiæ temporibus vaticinio promissus.

NImis multa non cognoscuntur à multis, quæ tamen sunt. At cognoscuntur tamen omnia ab unô omnium principiô, Deo ter Optimo, ac

ac Maximo, Hic deinde in nos, qui inde procedimus, ceu particulam auræ divinæ, diſpenſat cognoſcendi vim cuivis accomodam, placitam ſibi. Si ergo IOSEPH olim pauci cognoverunt, non eſt id vitium eius, aut imminutæ gloriæ ſignum, ſed opus dexteræ excelſi. Nec propterea minor ſe ipſo fuit, minúſque magnus, glorioſus, & Sanctus. Adhuc enim illum ab æterno elegit Deus in Patrem Filij ſui; adhuc & Filius in eundem conſenſit; Virgóque MARIA, in virum, Dei nutu, aſſumpſit. Atqui hæc nonniſi cum reſpectu ad cognitionem facta ſunt. Præceſſit ergo in ijs cognitio, & ea quidem ex bonitate obiecti cogniti, movens ad huiuſmodi electionem, conſenſum, & aſſumptionem. Neque enim niſi idoneus placere eligenti, conſentienti, atque aſſumenti poteſt. Quid igitur nunc amplius deſideret IOSEPHVS, quem idoneum ſummæ dignitati cognovit Deus; Dei Filius, ac MARIA; cognitúmque evexit, & adamavit. Sed tamen, tres iſti præcipui amatores, accendêre ſubinde ſuâ luce, flammáque amoris, mortalium aliquos, qui, cùm & ipſi concepiſſent ignem, neq; tamen idoneam ignis materiem repeiſſent, libros ſuper IOSEPHI laudibus ſcripsère; ſermones ad populum inſtituêre, Fraternitates erexêre.

Quia tamen nonniſi paucis quidquam perſuaſum eſt, enimverò fatiſcentem ſub eò ardore animum, vaticinijs ac ſpe proventuræ aliquandó meſſis ſuſtentabant. Quorum vaticiniorum eventum.

tum, quæ Dei miseratio est, nostra nunc videt ætas, cœpitque videre antecedens, incitata exemplis S. Teresiæ, B. Caspari Boni, B. Margaretæ de Castro, B. Agathæ de S. Cruce, Francisci de Sales, Balthasaris Aluarez, Alphonsi Rodriquez, de quorum plerisque egregiè disseruit Barry. cap. 5.

Verum ego iam aliud non ago, quàm ut seræ posteritati promissum esse IOSEPHVM demonstrem: Sic enim fiet, ut quidquid hactenus ad gloriam eius laboratum est, & laborabitur deinceps promptiore animo suscipiatur; *stat autem in ore duorum, vel trium testium, omne verbum.* Matth. 18. v. 16. duos ergo minimùm, si producam, amplius exigi à me nihil iure potest.

Ac 1. Gerson Cancellarius, uti ætate, ita doctrinà prior comparet, qui in tract. 12. super Magnificat, in fin. hæc sub annum Christi 1420. in persona MARIÆ habet. *Veniant generationes, quando scribet aliquorum devotio plurima super istis piè speculanda; multa prosaice; quadam heroico carmine: cui* IOSEPHINA *nomen erit: quædam aliter, & aliter. Nonnulli de laudibus iusti virginalis Sponsi mei, fidissimíq; custodis, & testis delegati, multa suæ posteritati legendo relinquent, statuent Consummationem in ipsius pretiosâ morte, quâ præsentibus filio meo, & me, piéq; flentibus, appositus est ad patres suos in senectute bonâ, cuius memoria in generationes seculorum.*

2. Gersonem sequitur Isidorus Isolanus ex S. Dominici Ordine, Vir æquè doctus ac pius. Hic in vita S. IOSEPHI part. 3. c. 6. ante annos 150.

Spiri-

Spiritus Sanctus, inquit, non cessabit excitare corda fidelium, donec Ecclesia militans universa exultabunda, divino viro IOSEPHO *novos honores decernat, monasteria ædificet, templa & altaria ad venerationem eius erigat. Eius honorandi causâ festa instituentur, multi vota vovebunt Domino, & reddent. Dominus revelabit interiores auriculas cordium, & intellectus magnorum & excellentium virorum, mysteria Dei explorandi, quæ in S. IOSEPHO latebant; & inveniendi pretiosum thesaurum, quæ in SS. Patribus veteris Testamenti non potuerunt reperire, tanta enim copia spiritualium donorum in S. IOSEPHO emicuit, ut ei par alibi reperiri non possit.* Hæc Isolanus. Quæ ego quidem tanta ubertate impleri cupio, ut ijs, qui me in laudando IOSEPHO secuturi sunt, etiam corrigiam calceametorum solvere paratus sim. Dum enim Sanctum hunc, unáque me, considero, ille mihi lux est, & ego ne quidem umbræ vicem rectè sustineo.

ELOGIVM XCV.

IOSEPH

Diu olim à paucis agnitus.

Mirissimum mirum mihi aliisque est, IOSEPHVM à tam paucis tot annorum decursu agnitum fuisse. Nam 1. ipsum Spiritus S. immediatè primùmq; omnium canonizavit Matth. 1. v. 19. 2. Eidem MARIA Dei Mater humilitatis

tatis ſtudio poſtpoſuit ſe. Luc. 2. v. 48. *Ecce Pater tuus, & ego dolentes, &c.* 3. Eius pænè tam frequens in Evangelio mentio fit, quàm frequens fit MARIÆ. Vt enim Louberius, in tract. de cognatis MARIÆ, impreſſo Anno 1479. Burgdorfij Bernenſis ditionis, obſervet non minus de IOSEPHO, atque de MARIA; novem leguntur Evangelia per annum. Nempe de MARIA 1. feſto Conceptionis. 2. Nativitatis ſuæ. 3. Præſentationis. 4. Nativitatis Chriſti. 5. Viſitationis. 6. Purificationis. 7. Aſſumptionis. 8. Conceptionis, quod in Sabbato intra Paſcha & Pentecoſten legitur. Et 9. B. Virginis ad Nives. Viciſſim autem de IOSEPHO legitur. 1. in vigilia Nativitatis Chriſti. 2. in Nocte eiuſdem Nativitatis. 3. in feſto Innocentium Martyrum. 4. in Dominica infra octavam Nativitatis. 5. in vigilia Epiphaniæ. 6. in Dominica infra octavam Epiphaniæ. 7. in feſto Purificationis. 8. in feſto Annuntiationis. 9. in feſto Conceptionis.

Et tamen IOSEPHVS: ſi cultum publicum publicámque religionem ſpectemus, prope ad noſtram uſque memoriam latuit, ſub modio oblivionis, à paucis agnitus, præteritus à pleriſque. Tacerêne igitur poſſum divini Conſilij cauſas, quæ movêre Deum ad hoc immeritum ſilentium? Aperire eas ante me tentavit Barry cap. 4. à fol. mihi 44. Tentare ergo me quoque iuvat, ſed eâ modeſtiâ ut ipſi ſua relinquam, proprijs contentus, ne gratia libro utiliſſimo pereat. Occurrunt autem iſtæ.

1. Duo

1. Duo ſunt genera Sanctorum. Vnum publicorum. Alterum occultorum. Atqui debetur utriſque congruum aliquod caput. MARIA autem caput eſt publicorum, Eſt ergo IOSEPH caput occultorum. Neque enim ſcire poſſum ullum alium ex ijs, qui occulti ſunt, qui ſanctitate ac dignitate eidem vel præferendus, vel etiam comparandus ſit. 2. Multi regnum Chriſti in miraculis, vaticinijs, extaſi, alijſque gratijs gratis datis, & externo Virtutum apparatu conſtituunt, ideóq; ſi ardeant tantum, & non luceant, animo dejiciuntur, ac retro reſpiciunt. At hi iam poſſunt reſpicere IOSEPHVM unâ ſuâ internâ ſanctitate tantopere ſe probantem Deo, ut eſſe ac dici mereatur Pater IESV, ac vir MARIÆ, &c, 3. Eſt Deus, ille Evangelicus Paterfamilias, qui profert de theſauro ſuo nova & vetera. Matth. 13. v. 52. ut aliàs iam diximus. Atqui theſaurus eius eſt multitudo ingens Sanctorum. Inde ergo profert nunc novos, nunc veteres Sanctos; Veteres enim Sancti ſunt Ioachim, Bibiana, Martina, & modò IOSEPHVS. 4. Etſi IOSEPHVS meo ac multorum judicio, maior ſit Sanctis omnibus, eſt tamen minor IESV & MARIA. Debet ergo primùm his conſuli; ac deinde ipſi. Neque enim ſimul conſuli poteſt omnibus, At ut his conſuleretur, ſtabiliri debuit divinitas & incarnatio Virginea Chriſti; tum vero maternitas Dei, ſummáque poteſtas orandi pro nobis, eidem maternitati annexa, Tantiſper ergo IOSEPHVS exſpectare debuit, dum

dum IESV & MARIÆ consuleretur. 5. Negari non potest, amore Dei, latere in vita ac morte, itemque post mortem, esse bonum inprimis honestum, ac expetibile à Viatore. Hoc enim videmus de facto placuisse non solùm Sanctis ut peterent; sed etiam Deo, ut petentibus annueret. Cum ergo IOSEPH amore simul ac humilitate alijs omnibus præstiterit, verisimile est, idem latendi studium, quoad consequi posset, quàm longissime extendere voluisse. 6. Nequidem ipsa Trinitas increata illico innotuit humano generi, ac nominatim Spiritus S. diu ab Asiæ Ecclesijs est Patre & Filio creditus esse minor. Debuit ergo etiam Trinitas creata IESVS, MARIA, IOSEPH, similem fortunam subire, & inter hos præcipuè IOSEPH latere, qui Sponsalitio honore, & amore accedit ad Spiritum S. Postremo autem huc itidem faciunt peculiares horum temporum morbi, quibus opponi debuit, Medicus aliquis cœlestis, alijs præstantior. At esse non potest præstantior IOSEPHO. Hic ergo in hæc tempora meritò servari debuit.

ELOGIVM XCVI.

IOSEPH

Periclitantium in castitate Patronus.

VIctoria pugnæ, pugna hosti commensa est. At est hostis eò gravior, quo interior; amor autem carnis est hostis noster maximè internus.

nus. Est ergo idem hostis longè gravissimus, & consequenter pugna quoq; ac victoria difficillima. Hæc autem cogitatio meritò intendit militum curam, ut sibi Duces Patronósque præponant, quorum imperijs, consilijs, exemplis, auctoritate, Virtuteque superiores ex eô bellô evadere possint. At *an invenire poterimus talem virum, qui Spiritu Dei itæ plenus sit, sicut est* IOSEPH *noster*, cuius Patriarcha figura ac typus fuit? An inquam *sapientiorem & consimilem eius poterimus invenire?* Gen. 41. v. 38. & 39. Equidem iam multis argumentis ostendi, non posse: Sed nunc occurrunt nova aliqua, quæ, Castitatis conservandæ ac promovendæ ardor, ut eloquar impellit.

Igitur 1. Patrocinium Virtutis, est præmium Virtutis. Maius igitur patrocinium maiorem sequitur Virtutem. Atqui Castitas IOSEPHI virtus fuit maxima in terris. Ergo patrocinium eius in cœlis itidem maius esse debet patrociniô aliorum Sanctorum.

2. Quem Deus ipsemet primo loco elegit custodem atq; patronum supremæ Castitatis, eum utique nos homines adoptare custodem patronúmque possumus Castitatis nostræ. Atqui IOSEPH primô loco elegit Deus custodem, ac patronum supremæ Castitatis, quæ est in MARIA Matre suâ. Nihil igitur desiderari potest, quò minus etiam Castitatis nostræ custos atque Patronus ipsemet sit. Dixi autem *primo loco*, quia duos elegit Deus custodes ac patronos supremæ Casti-

tatis IOSEPHVM & Ioannem. Atqui primô loco elegit IOSEPHVM, & deinde post annos bene multos eidem iam defuncto substituit Ioannem. Nemo igitur est huius, de quò agitur, patrocinij cum IOSEPHO competîtor.

3. Ille est optimus patronus Virtutis alicuius, qui vix adijt patrocinij munus, & confestim adiuuit eius patrocinij indigentes. Atqui IOSEPHVS hoc ipsum præclarè fecit. Si enim Ludolpho. Carth. in vita S. Annæ creditur, cùm primùm is inter Candidatos Matrimonij Virginei, præsentísque, quod annexum erat, patrocinij stetisset, adfuit simul Iuvenis quidam, Agabus nomine, veneficijs quærens quod Virtute debebat. At hic ubi illud dilectum superis Sponsorum par intuitus est, confestim & veneficia posuit, & Castitatem tantopere adamavit, ut in Carmeli monte Carmelitam deinceps egerit, donec postea à Christo discipulis septuaginta duobus adscriptus fuit.

4. Custos ovium est eorundem patronus aptissimus. Atqui IOSEPH est custos ovium Christi, imò custos est ipsius Christi, hoc est, Agni, de quo dicitur Apoc. 14. v. 4. *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati: Virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum quocunque ierit. Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo & Agno, &c.* Atqui Agnus iste sequitur IOSEPHVM, utpote, cui subditus erat. Luc. 2. v. 51. *Erat*, inquam, *subditus*; & necdum fuit, quia adhuc remanet, in quo non subdatur eidem, pro nobis agniculis periclitantibus deprecanti.

5. Pa-

5. Patronum constituit potestas, & voluntas, patrocinandi. Atqui utraque in IOSEPHO summa est. Ergo est is Patronus omnibus numeris absolutus. Minorem autem probo hîc tantùm quoad secundam partem. Prima enim partim ex dictis iam constat, partim non multo post probabitur. Nempe Voluntas colligitur in IOSEPHO summa esse ijs omnibus modis, quibus illa exterius ostendit se; & in specie 1. ipsa Castitatem perpetuò voto adstrinxit sibi. 2. Perpetuo obsequio se addixit, IESV & MARIÆ castissimis Virginibus. 3. Neminem ita amavit, aut amare potuit, atque eosdem. Amor autem amati bonum maximè promovere vult. At bonum IESV & MARIÆ maximum est multitudo Castorum; ideóq; huius expressè mentio fit. Apoc. cit. c. v. 3. Est ergo Voluntas IOSEPHI summa, hoc ipsum bonum patrociniô suo promovere satagens. Vide Barry c.8. Med.7. & c. 13.

ELOGIVM XCVII.

IOSEPH

Peregrinantium Patronus.

NOn ignara mali miseris succurrere disco, inquiebat apud Virgilium Dido. Non minus autem & alij in ijs malis, quibus exerciti ipsi olim sunt, vel auferendis, vel mitigandis, impensè allaborant. Est ergo credibilius, neq; IOSE-

PHVM hac una in re velut immemorem sui, communisq; honestatis connivere ad ærumnas nostras, quas quotidie cœlesti ex Theatrô intuetur. At est in his non infima peregrinantium ærumna, quâ terrâ maríque, implicantur, ac sæpe obruuntur.

Dicam ergo aliquid de hoc ipso eorum patrocinio, quod supra cæteros, ceu munus proprium sibi suscepit in se idem IOSEPHVS. Hoc autem agnovit antè me Eckius, illud Catholicæ Germaniæ columen, qui in Hom. 1. de S. IOSEPHO *omnes*, *insuper*, inquit, *quibus periculosæ instituuntur profectiones*, *locáq; adeunda sunt*, *parùm tuta*, *semet S. IOSEPHO committere debent*, *& ex illo comitatem*, *seucritatem*, *tutelam*, *& intercessionem petere*, *ac fideliter sperare*. Tum verò, Eckio citius, Ecclesia Hispalensis in Hymno quodam festi S. IOSEPHI cecinisse dicitur apud Carthag. l. 18. Hom. 14.

O custos matris Domini
Devotos tuo nomini
IOSEPH alme, per aspera
Salva semper, & prospera
Adesse tuis famulis
Dignare dux amabilis:
Sentiant nostra pectora
Tua semper iuvamina:
Tu salus & protectio,
Nostraq; iubilatio.

Idémq; ibidem confirmat Carthag. tribus authenticis historijs, quas hoc in loco rectiùs præterire posse videor, ut suus maneat rationibus honor.

Inter

Inter has autem eminet illustrissimum tum IESV tum IOSEPHI exemplum: si enim percunctetur aliquis ex me, 1. quid IESVS egerit; ac deinde quid IOSEPHVS? quid aliud respondere possum, quàm peregrinatos esse? Certè in has vitales auras nondum exierat IESVS; nondum, inquam, suismet pedibus insistere poterat, maternum intra uterum clausus, iam peregrinari debuit pedibus matris, & patris imperio.

Neque verò tam leve, ut videri posset, hoc primum fuit iter. Sunt enim, qui Nazarethô Galilææ usque Cariatharbe, quo MARIA festinatò abijt ad salutandam Elisabeth, computent horas minimùm triginta. At has ipsas horas revertens cum parentibus puer, post impensum Charitati, atque humilitati trimestre tempus, denuò emensus est; nec multum deinde temporis intercessit, cum iam tertium iter Bethlemium usque, IOSEPHO duce, nondum natus suscepit. Ibi verò vix octiduum, quo natus, & adoratus à pastoribus est, substitit, sed Ierosolymam, ut domino offerretur, trium horarum spatio delatus est; iterúmque alterô tantô relatus Bethlemium. Vbi quàm diu manserit, incertum est: certum tamen non mansisse admodum diu. Repentè enim IOSEPH, impellente Angelo, exsurgens è somno fugit cum IESV, & MARIA in Ægyptum; idque totum viæ spatium per desertum quod una & quadraginta mansionibus, totidemque annis Moyses, cum Israëliticô populô emensus est peragravit. Excepit tunc IOSE-

PHVM longiſſima peregrinatione perfunctum, itêmque familiam eius, primò Hermopolis Thebaidis Vrbs. At illuc minimùm ducentis horis pervenire potuit. Hermopoli autem totam ferè Ægyptum obivêre iuxta eam Topographiam, quam ſuperius conſtitui, Elog. 87. Solùm moneo debuiſſe inſumi minimum 70. Horas. Demum revocante in patriam Angelo, qui exire iuſſerat, diſceſsêre Alexandriâ, ac denuo poſt 200. minimùm horarum ſpatia, ſoli peregrinationi data Nazarethum regreſſi ſunt. Vnde IOSEPHVS deinceps iter feciſſe non traditur in ſacris literis, quàm illud annuum Ieroſolimam verſus, quod triginta horas poſcit.

Sic ergo patet, IOSEPHI vitam meram peregrinationem fuiſſe. Expertus proinde pericula eius, labores, & incommoda. Et poteſtne adhuc eſſe aliquis, qui neget eſſe peregrinantium patronum? Atqui multa ſunt officia patroni talis; quidquid enim peregrinanti non ſolùm neceſſarium, ſed etiam utile, iucundum, ac glorioſum eſt, complecti debet. Quidni ergo omnes patronum hunc pronis animis optamus, & adoptamus, ij præcipuè, qui vi Inſtituti diverſa loca peragrare debent, & vitam agere, in quavis mundi plagâ, ubi maius Dei obſequium, & animarum auxilium ſperatur?

ELO-

ELOGIVM XCVIII.

IOSEPH

Vitam ſpiritualem agentium Patronus.

DVplex homo, duplex vita. Scilicet homo alius eſt homo animalis, & alius ſpiritualis. *Animalis autem homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei.* 1. ad Cor. 2. v. 14. *Spiritualis autem iudicat omnia, & ipſe à nemine iudicatur.* v. 15. Eſt ergo duplex etiam vita hominis, animalis, & ſpiritualis. Atqui duo iſti homines, & vitæ, ſibi invicem relativè opponuntur. *Caro enim concupiſcit adverſus Spiritũ; Spiritus autem adverſus carnem.* ad Gal. 5. v. 17. Quot modis ergo aliquid dicitur animale, tot viciſſim modis dicitur ſpirituale. Atqui id tribus modis fit, nempe ſecundùm corpus; concupiſcentiam ſive paſſiones; & ſenſus, quibus ſervit homo. Hoc ergo poſterius itidem fit his tribus modis, quatenus homo dominatur corpori, concupiſcentiæ ſive paſſionibus, ac ſenſibus. Clarum autem eſt etiam hic generationem unius, eſſe corruptionem alterius. Vis ergo vir vere ſpiritualis fieri vivendo ſecundùm ſpiritum, hoc eſt, rationem Deo ſoli ſubditam, exue animalem vitam quæ inſtar bruti ſequitur deſideria carnis. At hoc ſine Duce ac Patrono huiuſmodi ſpiritualis vitæ nemo aſſequetur. Non enim, ut hæretici ſibi ſtolidè ſimul ac impiè

arrogant, ſpiritualis homo iudicat omnia, abſolutè, ſine exceptione, ac reſtrictione ſolúmque per ſe; ſed tantùm iudicat per ſe vel alios rerum peritos, & ea ſola quæ neceſſaria ſunt ad ſpiritualem vitam; *Quis enim cognovit ſenſum Domini, qui inſtruat eum?* Ibid. v.16.

Talis nempe Dux patronúſque aſſumi debet à ſpirituali homine, qui ſenſum Domini cognovit. Atqui, ut tandem ad id veniam, quod iſthic, quæritur, IOSEPHVS optimè cognovit ſenſum Domini. Nemo igitur Dux patronúſque ſpiritualis vitæ rectius aſſumitur, quàm IOSEPHVS. Hic autem maior propoſitio immediatè, ut vides, SS. litteris innititur; Minor naturis rerum. Pater enim optime novit Filij ſenſum. Atqui IOSEPHVS pater eſt, eiuſque Filius eſt Dominus. Optimè igitur IOSEPHVS cognovit ſenſum Domini.

Verùm argumentum hoc de paternitate, ac familiari neceſſitudine IOSEPHI cum IESV plus ſatis forſitan propoſitum iam eſt; quare ad aliud huic cauſæ non minus idoneum converto me, quod experientia ſuppeditat. Videamus enim, quis de factò, quantùm ex vitis Sanctorum legendo conſequi poſſumus, ſenſum Domini ſubtilius perſpexerit, & tanquam dux ac patronus ſpiritualis vitæ clariùs explicarit, ac IOSEPH?

Eſt inter eas vitas hàc ætate celeberrima S. Tereſiæ; quæ cum clientem ſe huius ipſius Divi palàm profeſſa ſit, ignorare profectò non potuit Ioſephini patrocinii præſtantiam. At ego fidenter

ter pronuncio, nihil hanc Virginem, in hoc suo patrono, etiam desiderare amplius potuisse. 1. enim illi sanitatem frustra à medicis quæsitam restituit; scilicet ne vitæ spirituali congruum subiectum deesset. In vita cap. 6. 2. In quodam suo pervigilio, humi prostratam versatilis rotæ, quâ aqua ex puteo adtrahitur, gravissimo impetu, etiam sine vulneris vestigio servavit. Alias etiam in Morenæ montibus aberrantem cum suis, adspectabili formâ, per ignotum callem eduxit. In vita Didaci de Iepes l.2. c.27. 3. Sanctioris vitæ desiderium immisit; ac peccatorum gravitatem declaravit, ijs utens medijs, quorum fructus in totam vitam redundaret. Ribera l.1. c.9. 4. Gratijs in dies maioribus extulit; evenitque, ut eas à MARIA & ipsomet IOSEPHO impetratas esse, à Domino cognosceret. Ibid. 5. Salutari timore perculit, ut caveret; ne in oratione præstigiis dæmonum seduceretur. Et propterea se regi sineret ab aliis. Idem. 6. Vnà cum MARIA, Assumptionis festo, candidissimâ ac splendidissimâ veste in signum dimissorum omnium peccatorum exornavit. l. 1. c.15. 7. Eodem tempore per MARIAM ostendit, gratam sibi esse venerationem sui; vellêque se cœptis eius favere traditô in pignus pretiosissimô monili ac cruce inde appensa. 8. Omnium votorum compotem fecit; ideoque si quæ vota essent de minore bono, prius in sanctiorem formam transtulit. In vita c. 6. Barry, c.5. 9. Per ipsam præcipuè voluit innotescere Mundo. Et videmus

dum IESV & MARIÆ consuleretur. 5. Negari non potest, amore Dei, latere in vita ac morte, itemque post mortem, esse bonum inprimis honestum, ac expetibile à Viatore, Hoc enim videmus de facto placuisse non solùm Sanctis ut peterent; sed etiam Deo, ut petentibus annueret. Cum ergo IOSEPH amore simul ac humilitate alijs omnibus præstiterit, verisimile est, idem latendi studium, quoad consequi posset, quàm longissime extendere voluisse. 6. Nequidem ipsa Trinitas increata illico innotuit humano generi, ac nominatim Spiritus S. diu ab Asiæ Ecclesijs est Patre & Filio creditus esse minor. Debuit ergo etiam Trinitas creata IESVS, MARIA, IOSEPH, similem fortunam subire, & inter hos præcipuè IOSEPH latere, qui Sponsalitio honore, & amore accedit ad Spiritum S. Postremo autem huc itidem faciunt peculiares horum temporum morbi, quibus opponi debuit, Medicus aliquis cœlestis, alijs præstantior. At esse non potest præstantior IOSEPHO. Hic ergo in hæc tempora meritò servari debuit.

ELOGIVM XCVI.

IOSEPH

Periclitantium in castitate Patronus.

VIctoria pugnæ, pugna hosti commensa est; At est hostis eô gravior, quo interior; amor autem carnis est hostis noster maximè internus.

nus. Est ergo idem hostis longè gravissimus, & consequenter pugna quoq; ac victoria difficillima. Hæc autem cogitatio meritò intendit militum curam, ut sibi Duces Patronosque præponant, quorum imperijs, consilijs, exemplis, auctoritate, Virtuteque superiores ex eô bellô evadere possint. At *an invenire poterimus talem virum, qui Spiritu Dei ita plenus sit, sicut est* IOSEPH *noster*, cuius Patriarcha figura ac typus fuit? An inquam *sapientiorem & consimilem eius poterimus invenire?* Gen. 41. v. 38. & 39. Equidem iam multis argumentis ostendi, non posse. Sed nunc occurrunt nova aliqua, quæ, Castitatis conservandæ ac promovendæ ardor, ut eloquar impellit.

Igitur 1. Patrocinium Virtutis, est præmium Virtutis. Maius igitur patrocinium maiorem sequitur Virtutem. Atqui Castitas IOSEPHI virtus fuit maxima in terris. Ergo patrocinium eius in cœlis itidem maius esse debet patrociniô aliorum Sanctorum.

2. Quem Deus ipsemet primo loco elegit custodem atq; patronum supremæ Castitatis, eum utique nos homines adoptare custodem patronúmque possumus Castitatis nostræ. Atqui IOSEPH primò loco elegit Deus custodem, ac patronum supremæ Castitatis, quæ est in MARIA Matre suâ. Nihil igitur desiderari potest, quò minus etiam Castitatis nostræ custos atque Patronus ipsemet sit. Dixi autem *primo loco*, quia duos elegit Deus custodes ac patronos supremæ Casti-

tatis IOSEPHVM & Ioannem. Atqui primô loco elegit IOSEPHVM, & deinde post annos bene multos eidem iam defuncto substituit Ioannem. Nemo igitur est huius, de quò agitur, patrocinij cum IOSEPHO competîtor.

3. Ille est optimus patronus Virtutis alicuius, qui vix adijt patrocinij munus, & confestim adiuuit eius patrocinij indigentes. Atqui IOSEPHVS hoc ipsum præclarè fecit. Si enim Ludolpho, Carth. in vita S. Annæ creditur, cùm primùm is inter Candidatos Matrimonij Virginei, præsentísque, quod annexum erat, patrocinij stetisset, adfuit simul Iuvenis quidam, Agabus nomine, veneficijs quærens quod Virtute debebat. At hic ubi illud dilectum superis Sponsorum par intuitus est, confestim & veneficia posuit, & Castitatem tantopere adamavit, ut in Carmeli monte Carmelitam deinceps egerit, donec postea à Christo discipulis septuaginta duobus adscriptus fuit.

4. Custos ovium est eorundem patronus aptissimus. Atqui IOSEPH est custos ovium Christi, imò custos est ipsius Christi, hoc est, Agni, de quo dicitur Apoc. 14. v. 4. *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati: Virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum quocunque ierit. Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo & Agno, &c.* Atqui Agnus iste sequitur IOSEPHVM, utpote, cui subditus erat. Luc. 2. v. 51. *Erat*, inquam, *subditus*; & necdum fuit, quia adhuc remanet, in quo non subdatur eidem, pro nobis agniculis periclitantibus deprecanti.

5. Pa-

5. Patronum constituit potestas, & voluntas, patrocinandi. Atqui utraque in IOSEPHO summa est. Ergo est is Patronus omnibus numeris absolutus, Minorem autem probo hîc tantùm quoad secundam partem. Prima enim partim ex dictis iam constat, partim non multo post probabitur. Nempe Voluntas colligitur in IOSEPHO summa esse ijs omnibus modis, quibus illa exterius ostendit se; & in specie 1. ipsa Castitatem perpetuò voto adstrinxit sibi. 2. Perpetuo obsequio se addixit, IESV & MARIÆ castissimis Virginibus. 3. Neminem ita amavit, aut amare potuit, atque eosdem. Amor autem amati bonum maximè promovere vult. At bonum IESV & MARIÆ maximum est multitudo Castorum; ideóq; huius expressè mentio fit. Apoc. cit. c. v. 3. Est ergo Voluntas IOSEPHI summa, hoc ipsum bonum patrociniô suo promovere satagens. Vide Barry c. 8. Med. 7. & c. 13.

ELOGIVM XCVII.

IOSEPH

Peregrinantium Patronus.

NOn ignara mali miseris succurrere disco, inquiebat apud Virgilium Dido. Non minus autem & alij in ijs malis, quibus exerciti ipsi olim sunt, vel auferendis, vel mitigandis, impensè allaborant. Est ergo credibilius, neq; IOSE-

PHVM hac una in re velut immemorem sui, communisq; honestatis connivere ad ærumnas nostras, quas quotidie cœlesti ex Theatrô intuetur. At est in his non infima peregrinantium ærumna, quâ terrâ maríque, implicantur, ac sæpe obruuntur.

Dicam ergo aliquid de hoc ipso eorum patrocinio, quod supra cæteros, ceu munus proprium sibi suscepit in se idem IOSEPHVS. Hoc autem agnovit antè me Eckius, illud Catholicæ Germaniæ columen, qui in Hom. 1. de S. IOSEPHO *omnes, insuper*, inquit, *quibus periculosæ instituuntur profectiones, locáq; adeunda sunt, parùm tuta, semet S. IOSEPHO committere debent, & ex illo comitatem, seucritatem, tutelam, & intercessionem petere, ac fideliter sperare.* Tum verò, Eckio citius, Ecclesia Hispalensis in Hymno quodam festi S. IOSEPHI cecinisse dicitur apud Carthag. l. 18. Hom. 14.

O custos matris Domini
Devotos tuo nomini
IOSEPH alme, per aspera
Salva semper, & prospera
Adesse tuis famulis
Dignare dux amabilis:
Sentiant nostra pectora
Tua semper iuvamina:
Tu salus & protectio,
Nostraq; iubilatio.

Idémq; ibidem confirmat Carthag. tribus authenticis historijs, quas hoc in loco rectiùs præterire posse videor, ut suus maneat rationibus honor.

Inter

Inter has autem eminet illustrissimum tum IESV tum IOSEPHI exemplum: si enim percunctetur aliquis ex me, 1. quid IESVS egerit; ac deinde quid IOSEPHVS? quid aliud respondere possum, quàm peregrinatos esse? Certè in has vitales auras nondum exierat IESVS; nondum, inquam, suismet pedibus insistere poterat, maternum intra uterum clausus, iam peregrinari debuit pedibus matris, & patris imperio.

Neque verò tam leve, ut videri posset, hoc primum fuit iter. Sunt enim, qui Nazarethô Galilææ usque Cariatharbe, quo MARIA festinatò abijt ad salutandam Elisabeth, computent horas minimùm triginta. At has ipsas horas revertens cum parentibus puer, post impensum Charitati, atque humilitati trimestre tempus, denuò emensus est; nec multum deinde temporis intercessit, cum iam tertium iter Bethlemium usque, IOSEPHO duce, nondum natus suscepit. Ibi verò vix octiduum, quo natus, & adoratus à pastoribus est, substitit, sed Ierosolymam, ut domino offerretur, trium horarum spatio delatus est; iterúmque alterô tantô relatus Bethlemium. Vbi quàm diu manserit, incertum est: certum tamen non mansisse admodum diu. Repentè enim IOSEPH, impellente Angelo, exsurgens è somno fugit cum IESV, & MARIA in Ægyptum; idque totum viæ spatium per desertum quod una & quadraginta mansionibus, totidemque annis Moyses, cum Israëliticô populô emensus est peragravit. Excepit tunc IOSE-

PHVM longiſſima peregrinatione perſunctum, itêmque familiam eius, primò Hermopòlis Thebaidis Vrbs. At illuc minimùm ducentis horis pervenire potuit. Hermopoli autem totam ferè Ægyptum obivêre iuxta eam Topographiam, quam ſuperius conſtitui, Elog.87. Solùm moneo debuiſſe inſumi minimum 70. Horas. Demum revocante in patriam Angelo, qui exire iuſſerat, diſceſsêre Alexandriâ, ac denuo poſt 200. minimùm horarum ſpatia, ſoli peregrinationi data Nazarethum regreſſi ſunt. Vnde IOSEPHVS deinceps iter feciſſe non traditur in ſacris literis, quàm illud annuum Ieroſolimam verſus, quod triginta horas poſcit.

Sic ergo patet, IOSEPHI vitam meram peregrinationem fuiſſe. Expertus proinde pericula eius, labores, & incommoda. Et poteſtne adhuc eſſe aliquis, qui neget eſſe peregrinantium patronum? Atqui multa ſunt officia patroni talis; quidquid enim peregrinanti non ſolùm neceſſarium, ſed etiam utile, iucundum, ac glorioſum eſt, complecti debet. Quidni ergo omnes patronum hunc pronis animis optamus, & adoptamus, ij præcipuè, qui vi Inſtituti diverſa loca peragrare debent, & vitam agere, in quavis mundi plagâ, ubi maius Dei obſequium, & animarum auxilium ſperatur?

ELO-

ELOGIVM XCVIII.

IOSEPH

Vitam ſpiritualem agentium Patronus.

DVplex homo, duplex vita. Scilicet homo alius eſt homo animalis, & alius ſpiritualis. *Animalis autem homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei.* 1. ad Cor. 2. v. 14. *Spiritualis autem iudicat omnia, & ipſe à nemine iudicatur.* v. 15. Eſt ergo duplex etiam vita hominis, animalis, & ſpiritualis. Atqui duo iſti homines, & vitæ, ſibi invicem relativè opponuntur. *Caro enim concupiſcit adverſus Spiritũ; Spiritus autem adverſus carnem.* ad Gal. 5. v. 17. Quot modis ergo aliquid dicitur animale, tot viciſſim modis dicitur ſpirituale. Atqui id tribus modis fit, nempe ſecundùm corpus; concupiſcentiam ſive paſſiones; & ſenſus, quibus ſervit homo. Hoc ergo poſterius itidem fit his tribus modis, quatenus homo dominatur corpori, concupiſcentiæ ſive paſſionibus, ac ſenſibus. Clarum autem eſt etiam hic generationem unius, eſſe corruptionem alterius. Vis ergo vir vere ſpiritualis fieri vivendo ſecundùm ſpiritum, hoc eſt, rationem Deo ſoli ſubditam, exue animalem vitam quæ inſtar bruti ſequitur deſideria carnis. At hoc ſine Duce ac Patrono huiuſmodi ſpiritualis vitæ nemo aſſequetur. Non enim, ut hæretici ſibi ſtolidè ſimul ac impiè

ter pronuncio, nihil hanc Virginem, in hoc suo patrono, etiam desiderare amplius potuisse. 1. enim illi sanitatem frustra à medicis quæsitam restituit; scilicet ne vitæ spirituali congruum subiectum deesset. In vita cap. 6. 2. In quodam suo pervigilio, humi prostratam versatilis rotæ, quâ aqua ex puteo adtrahitur, gravissimo impetu, etiam sine vulneris vestigio servavit. Alias etiam in Morenæ montibus aberrantem cum suis, adspectabili formâ, per ignotum callem eduxit. In vita Didaci de Iepes l.2.c.27. 3. Sanctioris vitæ desiderium immisit; ac peccatorum gravitatem declaravit, ijs utens medijs, quorum fructus in totam vitam redundaret. Ribera l.1.c.9. 4. Gratijs in dies maioribus extulit; evenitque, ut eas à MARIA & ipsomet IOSEPHO impetratas esse, à Domino cognosceret. Ibid. 5. Salutari timore perculit, ut caveret; ne in oratione præstigiis dæmonum seduceretur. Et propterea se regi sineret ab aliis. Idem. 6. Vnà cum MARIA, Assumptionis festo, candidissimâ ac splendidissimâ veste in signum dimissorum omnium peccatorum exornavit. l. 1. c.15. 7. Eodem tempore per MARIAM ostendit, gratam sibi esse venerationem sui; vellêque se cæptis eius favere traditô in pignus pretiosissimô monili ac cruce inde appensa. 8. Omnium votorum compotem fecit; ideoque si quæ vota essent de minore bono, prius in sanctiorem formam transtulit. In vita c. 6. Barry, c.5. 9. Per ipsam præcipuè voluit innotescere Mundo. Et videmus

nunc, eventum feliciſſimum notitiæ huius, magis magiſque ſe diffundentis. Barry cap. 9. Et hæc nonniſi è pluribus elegi, ut meo tuóque in Tereſiam affectui ſaltem aliquid tribuerem. At ſcire vis cauſam, cur Tereſia IOSEPHVM tanti fecerit? Ipſammet audi. IOSEPHO ſubditus fuit IESVS, ut patri filius: cuius pœnitere ipſum ne quidem in cœlo poteſt.

ELOGIVM XCIX.

IOSEPH

Societatis IESV Patronus.

NEquaquam invita conſenſit Societas IESV Ioanni Bourgheſio, cùm librum ſuum hac epigraphe emitteret in lucem; *Societas IESV Deiparæ ſacra.* An ergo repugnabit illa mihi pari ſtudio inflammato, ſi modò *Societatem IESV* inſcribam *Deiparæ ac IOSEPHO ſacram*? Minimè Gentium. Eſſe enim, ut in Scholis loquimur, ſequitur denominari. At eſt haud dubiè Societas IESV, etiam IOSEPHO ſacra, & patrocinium eius non ſolùm implorat, ſed meretur. Denominari ergo iure poteſt ac debet, *Societas IESV etiam IOSEPHO ſacra.* At, ſi quod eſt, denominatur], eſt utique eiuſdem Societatis ſingularis Patronus IOSEPHVS. Ita ergo unum probandum nobis eſt, quòd reipsà ſit huic Divo ſacra, eiuſque propitiam opem multis magniſque officijs ambiat.

Id autem hunc in modum præsto. 1. Complures magni nominis Doctores excitavit ad promovendam in animis legentium, venerationem Sancti. Eminent autem Alphonsus Salmeron, Franciscus Suarez, Petrus Canisius, Petrus Cotonus, Paulus Barry, Cornelius à Lapide, Christophorus à Castro, Sebastianus Barradius, Petrus Morales; Itémque quos videre nondum potuimus, Laurentius Masellus, & Ludovicus Makeblidius vitæ Iosephinæ scriptores.

2. Suos omnes alumnos ab ipsô tirocinij tempore respicere iubet IOSEPHVM, non minus suum, quàm IESV Patrem; eundem imitari vult in ijs, quæ IESV causâ facturi passurive sunt; ac demum quotidianis precibus, ut in auxilium casúsque obvios invocent, hortatur. Quæ tamen ipsa, quia ferè interna sunt, rectius latent intra nos, quibus sufficit, tanto Patri probari. Redeo autem ad ea; quæ nisi foras promicent, prodesse proximo non possunt.

Igitur 3. Ceream puerorum ætatem cùm primùm Latinas litteras docere incipit, in ipso suô ad nos accessu, prensare sine mora iubet patrocinium IOSEPHI. Neque iam quisquam ferè est, qui non laboribus suis eius nomen cum IESV & MARIÆ nominibus, præfigat, inscribátque, publicæ venerationis causâ.

4. His autem nequaquam contenta, peragit deinceps conceptos pietatis igniculos inflammare magis; & nunc quarti præcepti Religione ad honorandos

randos cœleſtes parentes noſtros, MARIAM, inquam, & IOSEPHVM quoad poteſt obſtringit; nunc verò in Congregationem MARIÆ Virginis alia Lege neminem ferè admittit, niſi præſcriptâ Verborum formâ; IOSEPHVM quoque in Patrem, Patronum, & Advocatum eligat. Quod equidem de hac unâ, in quâ ſum, Germaniæ Superioris Provinciâ, affirmare certò poſſum, ignarus quid alibi fiat. Facilè tamen perſuadeo mihi, ſicut Filium, fas non eſt, ſeparari à Matre, ita Matrem nullibi ſeparari à Viro ſuo. *Quod* enim *Deus coniunxit, homo non ſeparet.*

5. Eadem Societas Feſtum S. IOSEPHI ab Vrbano VIII. fel. record. univerſæ Eccleſiæ imperatum licet obſtare videretur feſtorum aliorum multitudo, paſſim in Germaniâ perſuaſit Epiſcopis, Principibus, ac Rebuspublicis, ut unanimi conſenſu admitterent Sanctiſſimum illud Romani Pontificis imperium.

6. Non minùs illa, gloriari poteſt, in ampliſſimô Galliæ Regnô, primam ſe templum S. IOSEPHO Lugduni extruxiſſe, Petri Cotoni noſtri Concionatoris ac Confeſſarij Regij operâ, qui poſtea ipsô Sancti Feſtô nobiſcum vivere deſijt. Barry c. 5. Meretur autem hoc eodem officij genere celebrari etiam Provincia noſtra, quæ Burckhuſij Bavariæ oppido, ubi Dicaſterium eſt, à Sereniſſima Domo primum S. IOSEPHO inter Boios templum etiam ipſamet extrui impetravit.

7. Ipſa etiam, hôc IOSEPHI patrociniô,

Gen-

Gentium Converſionem feliciſſimè promovet in novô Orbe, ac nominatim in novâ Franciâ, Americâ Meridionali, ac Canadæ regnô, Barry c. 13.

8. Eiuſdem quoque Societatis eſt, religioſiſſimum FERDINANDI III. æternæ memoriæ CÆSARIS pectus, hoc in IOSEPHVM pietatis igne tantopere exarſiſſe. Qui ſanè hunc non ſolùm ſibi, ſed inprimis Bohemiæ Regno Patronum adoptavit, venerationis genere etiam Romæ placito, ad hoc utens. [redacted] Hebdom. S. IOSEPHO Regni Bohemiæ & Agonizantium Patrono ſacrâ, Romæ 1658. Qui deinde ex Auguſtalibus Liberis ſuis, duos poſtremos, quos ſuſcepit, Filios, eodem IOSEPHI nomine, in Baptiſmo compellari iuſſit; ex quibus, dum hoc ſcribo, ALOYSIVS quidem IOSEPHVS, tum IOSEPHO illi ſuo, à quo nomen accepit, tum Parenti optimo, præcipiti morte, coniunctus in cœlo, LEOPOLDVM Fratrem recens CÆSAREM renunciatum, communibus ſuffragis ad publicam Catholici Orbis utilitatem iuvat; CAROLVS verò IOSEPHVS etiamnum ſuperſtes, ſub Magiſtrorum curâ, adoleſcit in ſpem Paternæ, ac verè Ioſephinæ virtutis. Qui denique IOSEPHO hactenus culto dignus eſt viſus, cui natali ſuo ac feſto die, publicum Sydus ſupra Bohemiam accenderet in cœlo, admonens Clientem de imminente ſibi morte, ſeu rectiùs vitâ cœleſti, & perpetuâ Societate ſecum. Palma Ioſeph. fol. 486.

9. Inter hæc autem prætereundus non eſt Sere-

Serenissimus PHILIPPVS WILHELMVS Princeps Neoburgicus, &c. qui post sua & aliorum religiosissima vota necquidquam, ut videbatur, impensa, demum consilio Societatis IESV S. IOSEPHVM Patronum sibi & dilectissimæ Coniugi delegit; & hoc ipso anno, die Parasceves, hoc est, 19. Aprilis, Filium ac Hæredem felicissimè suscepit; eúmque IOANNEM WILHELMVM IOSEPHVM IGNATIVM nominari iussit. Quem illi IOSEPHVS iste meus utinâm de cœlo longissimè incolumem servet! Id sanè non Societas sola, sed etiam Germania Catholica tota, tum Parentis optimè meriti causá, tum suâ, ab eodem, quantis potest desiderijs atque supplicijs non cessabit petere.

ELOGIVM C.

IOSEPH

Vniversalis totius Ecclesiæ Patronus.

ABsit, ut negem id, quod est Fide divina certum. Huiusmodi autem est, quod Apost. in 1. ad Cor. 12. v. 8. ait. *Alij quidem per Spiritum datur sermo Sapientiæ, alij autem sermo scientiæ secundùm eundem Spiritum: alteri fides in eodem Spiritu: alij gratia sanitatum in uno Spiritu: alij operatio virtutum, &c.* Et postea v. 30. *Nunquid omnes gratiam habent curationum? &c.* Sed tamen hæc ipsa Verba magis utique militanti Ecclesiæ conveniunt, quàm

triumphanti. Magis, inquam, quia S. Augustin. in cit. locum commentans; *ita*, inquit, *nec in omnibus memorijs Sanctorum Deus miracula fieri voluit, quia dividit unicuiq; , prout vult.* Sicut ergo in Viatoribus limitata vis est operandi ad extra per gratias gratis datas, pari modò vis est limitata in comprehensoribus suo patrocinio miracula patrandi nobiscum in terris.

Idque quotidiana fidelium Religio probat; dum ad preces nostras auxiliatur, Othilia oculis; Aurelia auribus; Apollonia dentibus; Agatha pectori; Blasius faucibus; Iulianus & Stephanus podagræ; Erasmus Colicis doloribus; Florentius calculo; Valentinus morbo caduco; Antonius igni sacro; Florianus, Laurentius, & Lucianus incendiis; Martinus febribus; Antonius de Padua ijs, qui perdiderunt aliquid; Leonardus captivis; Ignatius Loiola gravidis; Vitus pueris; Wilgefortis afflictis; Nicolaus naufragis; Franciscus de Padua sterilibus; Barbara piam mortem optantibus, &c.

Verùm an nulli propterea sunt totius Ecclesiæ universales Patroni? Sunt utique speciali privilegio Dei, saltem MARIA, inquam, & IOSEPH. Cum enim in ijs virtus, dignitas, ac gratia ad divinitatem proximè accedant, etiam necessarium videtur, plus eos patrocinando apud Deum posse, quam aliàs possint singuli. Si ergo singuli collectivè sumpti, nihil non possint, longè magis omnia possunt MARIA & IOSEPH. At nunc de IOSEPH tantùm

tùm

tùm cura nos tenet. Pro illo ergo si quid adhuc virium superest, impendamus coronidi laudum eius.

Ac nobis hîc offerunt Carthagena. l. 18. Homil. 14. & Clisor. tres testes omni exceptione maiores, S. Thomam in 4. dist. 45. q. 3. a. 2. ad 2. S. Bernardin. Senens. serm. 12. p. 2. & Eckium Homil. 2. de S. IOSEPH. Verùm ut mitissimè dicam, testes isti apud me muti, hac quidem in re instar piscium sunt. Admitti ergo nullo modò possunt, nisi ab ijs, qui alienis malunt oculis, quàm propriis credere. Cæterùm adhuc aliunde probari sufficienter potest veritas Elogij.

1. Namq; est Patriarcha Ioseph typus & figura nostri. Atqui nihil est adeò gloriosum illi, quàm esse & dici Salvatorem Mundi, à quo omnes adiuventur. Debet ergo hæc gloria imprimis inesse nostro.

2. Teresia perpetuum Carmeli decus, & IOSEPHO nostro addictissima, ut refert ipsamet in suâ propria vitâ cap. 6. post alias eius laudes dictitabat, videri sibi, Deum nolle nos aliorum Sanctorum ope iuvari, nisi in certo quopiam ærumnarum genere, veluti docere nos vellet, quemadmodum in terris ei, ut Patri suo obtemperavit, eodem omnino modô cum ipsô se in cœlis agere, ratâsque eius omnes preces habere.

3. Idipsum videtur innuisse eiusdem nostri IOSEPHI filius IESVS apud Ioan. 14. v. 13. *Quodcunq; petieritis Patrem in nomine meo, hoc facite, ut glorificetur Pater in Filio.* Et 16. v. 23. *Si quid petieritis*

Patrem

Patrem in nomine meo, dabit vobis. Quæ quidem verba in ſuô propriô & litterali ſenſu, haud dubiè de Patre æterno loquuntur. Sed quoniam ea quoque à bene moratis filijs ad ſuos carnales parentes proferri quotidie ſolent, ego, minus aliquid à Filio Dei longè liberaliſſimo dictum eſſe, non credo.

4. Inductione multiplicium exemplorum conſtat IOSEPHVM noſtrum, reipsà, in omnis generis ærumnis, patrocinari clientibus ſuis poſſe, & ſolere. Ideóque Ioſephinæ Palmæ Auctor, recte identidem ingeminat illud Pharaonis, Gen. 41. v.56. *Ite ad Ioſeph, & quidquid ipſe vobis dixerit, facite.* Quô loquendi modô etiam MARIA Mater Dei eſt uſa, Ioan. 2. v.5. & nunc de cœlo unà cum Filio nos admonet officij noſtri, iuſtæque ſpei de IOSEPHO conceptæ. Neque ipſe ſpe hac minor eſſe poteſt, qui dignitate ac meritis maior eſt omnibus prout hactenus oſtendi. Sed utinam etiam cultu ac veneratione ad hanc eius dignitatem ac merita, proximè accedamus. Nos quidem propterea calamum ſtrinximus. Verum niſi Deus ipſemet illabatur legentium animis, quid niſi ſibilus auræ tenuis ſumus? Da ergo, ô mi Deus, mihi & alijs, qui legerint incrementum.



V QVÆ-

QVÆSTIO SINGVLARIS.

An IOSEPH sit conceptus sine peccato originali?

NE quod præcipuum videri potest, Lector Benevole, præteritum à me, vel etiam ignoratum esse, arguas, en appendo coram omnibus ad Rationis libellam propositam quæstionem. Ac 1. in lance dextrâ sunt momenta omnia, quæ quidem mihi occurrunt, Sententiæ affirmantis

Nempe 1. est; Quia sine ulla Censura graviore per annos ducentos lecta & tolerata fuit, etiam post Concilium Tridentinum, in Mariali Bernardini de Bustis Serm. 12. de Desponf. MARIÆ, part. 4. tit. Deus etiam præservavit IOSEPH ab originali: Vbi Auctor hæc habet. Posito,
" quod expresſè dixisset Salvator; inter natos mu-
" lierum nullus surrexit vel surget maior in gloriâ
" paradisi Ioanne Baptista, adhuc posset teneri
" quod S. IOSEPH sit maior in gloria ipso Ioanne
" Baptista: Si tenere vellemus opinionem unius
" devoti ipsius S. IOSEPHI, qui opinatus est, quòd
" sicut Deus voluit præservare Beatam Virginem à
" peccato originali, ut esset eius digna mater, ita etiam
" voluit præservare S. IOSEPH, ut esset Matris suæ
" dignus Sponsus, & eius idoneus Pater nutritius, &
" Minister purissimus; & quantum possibile esset
" conformaretur in puritate ipsi innocentissimæ Vir-
" gini; & hanc suam opinionem confirmat dicto Io-
"

annis

annis Gerson in exord. Serm. de Nat. B.V. ubi ait; "*Sicut decuit, ut MARIA tanta puritate niteret, sicut dicit Anselmus, quâ sub Deo maior nequet intelligi, ita decuit, ut IOSEPH tantâ prærogativâ poilleret, quo similitudinem & convenientiam exprimeret talis Sponsi ad talem Sponsam, de quâ natus est IESVS Christus. Vnde sicut laus MARIÆ est laus Christi filij sui, ita laus IOSEPH in præconium redundat utriusque, IESV scilicet & MARIÆ. Et sic ex adverso dicit sapiens Eccli. 3. quod dedecus filij est pater sine honore, similiter dedecus Sponsæ esset Sponsus sine honore derelictus.* Hæc Gerson. Dicit autem prædictus devotus, quod per hanc præservationem non sequitur, quòd Beatus IOSEPH sit æqualis Beatæ Virgini per omnia, sed solùm conformis. Nam excellentior fuit præservatio ipsius Matris Dei, quàm Sponsi sui. Ipsa enim purissima Virgo taliter fuit præservata; quòd nullam penitus infectionem sensit in anima, sed nec etiam in corpore; IOSEPH verò habuit corpus infectum sicut alij, sed antequam in eô infunderetur anima, purgatum fuit Sancti Spiritus sanctificatione; & tunc creata & infusa est anima, & ab originali peccato præservata, eò modò, quo credidit M. Paulus de Venetiis, præservatam fuisse gloriosam Virginem; quæ tamen ab aliis creditur fuisse excellentius præservata. Hactenus Bernardinus." Et meminit opinionis huius etiam Carthag. lib. 4. Hom. 12. nihil præterea definiens, securâne sit, an reiectanea.

2. Quia Elog. I. ponitur IOSEPH ab æter-

nò, & ante omnia, prædestinatus, unà cum IESV & MARIA. Sicut ergo vi huius prædestinationis præservata est MARIA à peccato originali, utpote prævisa independenter à peccato Adami, ita ipse quoque, simili prærogativa prædestinationis gaudens, ab eodem proportionaliter præservatus esse, dici potest.

3. Quia pro eodem pugnat non leviter, ferè totus ille discursus S.Thomæ in 3. p. q.27. a.4. in c. ex quo Recentiores pro immaculatâ MARIÆ Conceptione argumentantur. Nam quidni totidem verbis dicam; *Respondeo dicendum, quod illos, quos Deus ad aliquid eligit, ita præparat & disponit, ut ad id, ad quod eliguntur, inveniantur idonei secundum 2. ad Cor. 3. Idoneos nos fecit ministros novi testamenti. Beata autem Virgo* (itemque IOSEPH) *fuit electa* (electus) *divinitus, ut esset mater Dei* (Sponsus matris Dei, & Pater IESV exceptâ solâ carnali generatione.) *Et ideo non est dubitandum, quin Deus per suam gratiam eam* (eum) *ad hoc, idoneam,* (idoneum) *reddiderit, secundum quod Angelus ad eam* (eum) *dixit, Invenisti gratiam apud Deum: ecce concipies, &c.* (IOSEPH fili David, noli timere, &c.) *Non autem fuisset idonea mater Dei,* (idoneus vir MARIÆ, & Pater IESV,) *si peccâsset aliquando: tum quia honor parentum redundat in prolem, secundùm illud Prov.17 Gratia filiorum, patres eorum: unde & per oppositum ignominia matris in filium redundâsset. Tum etiam quia singularem affinitatem* (sive propinquitatem) *habuit ad Christum, qui ab ea* (eo) *carnem accepit* (per pater

nan

nam providentiam diuturnæ nutritionis.) *Dicitur autem 2. ad Cor. 3. Quæ conventio Christi ad Belial? Tum etiam, quia singulari modo Dei filius, qui est Dei Sapientia in ipsâ* (cum ipso) *habitavit non solùm in animâ, sed etiam in uterô* (non solùm spiritualiter, sed etiam corporaliter.) *Dicitur autem Sap.1. In malevolam animã non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Et ideo simpliciter fatendum est, quod B. Virgo* (IOSEPHVS) *nullum actuale peccatum* (Theologi complures addunt, originale) *commisit, nec mortale, nec veniale: ut sic in ea* (eô) *impleatur, quod dicitur Cant.4. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* (Cant.5. v.9. Qualis est dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum, &c. Et v.15. Guttur illius suavissimum: & totus desiderabilis.)

4. Quia multis alijs, cum Virgineâ sua Sponsa, communibus sibi privilegijs, condecoratus est; ex quibus tamen Auctores moventur ad asserendam Immaculatam prædictæ Virginis Conceptionem. Talia enim sunt, prædestinari & eligi ante omnes alios. Salaz. cap. 2. Esse immunem à peccatis actualibus. Cap.25. & 26. Habere perfectissimam Virginitatem. Cap.27. Plerisque effectibus peccati originalis carere. Cap.28. Proximè conjungi cum Filio Dei. Cap.29. Eundem summa cum potestate gubernare. Cap.30. Confirmari in gratia. Cap.32. §. 2.3. Deum clarè vidisse. §.4. Ergo indidem potest inferri immaculata IOSEPHI Conceptio.

5. Quia nihil obſtat. Non enim obſtat Cenſura, ut dictum eſt Mot. 1. Nec doctrina Devoti à Bernardino citati conſtituentis præſervationem IOSEPHI in, neſcio, quâ corporali infectione, quâ tamen caruerit MARIA. Abſque eâ enim adhuc diſcrimen dari poteſt, inter MARIAM & Ipſum; ſi nempe dicamus, MARIAM quidem caruiſſe etiam debitò proximò originali; ipſum autem hoc contraxiſſe.

Iam verò & in ſiniſtra Lance ponamus Negantis Sententiæ quantacunque conſequi poſſumus, motiva.

Ex ijs autem 1. eſt. Quia ſaltem in genere graviter cenſetur oppoſita doctrina. Eam enim Tanner. diſp. 4. q. 7. n. 32. temerariam & ſuſpectam de hæreſi vocat: quia à regulâ fidei abſque fundamentô, & contra omnium Orthodoxorum ſententiam exceptionem facit.

2. Quia etiam Trident, Seſs. 5. in Decr. de Pecc. Orig. videtur condemnare contrarium. Nam 1. cum Apoſt. ad Rom. 5. ait, in unô homine omnes peccaviſſe. 2. Adæ peccatum propagatione transfuſum omnibus ineſſe. 3. Ibi non comprehendere ſe Beatam & Immaculatam Virginem MARIAM Dei Genitricem. De S. autem IOSEPHO prorſus tacet.

3. Quia neque unus quidem ex Catholicis Doctoribus auſus ſt hoc ut probabile dicere; ut videre eſt ex Mot. 1. Si enim eſſet, cur potius ad Devoti opinationem confugeret? An ergo, in re

tantâ,

tantâ, singularis opinio, & communi tantopere repugnans, tutò doceri potest?

4 Quia Motiva affirmantis non convincunt. Vt enim nil amplius dicam de primò, adhuc defendi potest prædestinatio IOSEPHI ab æterno & ante omnia, tametsi ea facta sit post prævisionem contracti peccati originalis. 3. verò in rigore non plus quàm immunitatem à peccato actuali extorquere potest. Adhæc autem minus utique pro IOSEPHO facit, quàm pro MARIA. Id quod etiam de 4. dici debet. Neque enim vel unicum privilegium in eo gradu concessum est IOSEPHO, in quo concessum est MARIÆ. Non igitur ex inæqualibus præmissis inferri debet Consequentia æqualis.

5. Quia affirmans Sententia addit onus novum oneri antiquo quò pro Immaculatâ MARIÆ Virginis Conceptione inter Articulos Fidei constituendâ tot iam annis, coram Summis Pontificibus, incassum decertatur. Potéstne ergo aliquis, hac ipsâ nondum depugnatâ lite, ordiri pugnam aliam pro IOSEPHI immunitate, nihi utique profuturam, quàm ut Doctores collidantur inter se, & Hæreticis ansam præbeant, deridendi, aut scindendi doctrinam tunicæ inconsutilis Christi desuper contextæ per totum? In quo quidem aliqui removent à se invidiam facti huius, propterea, quod opinionem istam de immaculato IOSEPHO, nonnisi ut verisimilem ac probabilem (extra Fidei Catholicæ orbitam) tradant. At hæc audire

nolunt, quibus eadem Fides exosa est, ducto hinc novô argumentô, seu verius mantelò contumaciæ suæ, quod tam facile doctrinis vanis & peregrinis abducamur, contra Apost. monitum, ad Hebr. 13. v. 9.

Resolutio Quæstionis.

1. Tutior longè est Sententia Negans.
2. An Sententia affirmans dici possit probabilis ac verisimilis, Doctoribus alijs omnibus tacentibus, mihi non liquet.
3. Si cui tamen post immaculatam Dei Genitricem, hoc speciale immunitatis Privilegium, probabiliter concedi potest, existimo concedendum esse IOSEPHO.

Ad cuius maiorem Laudem, vtinam! Deus cogitationes nostras omnes converteret!

ORATIO VOTIVA *Ad* S. IOSEPHVM.


BEatissime IOSEPH, Pater Nutritie IESV Christi Filij Dei, & Sponse sanctissimæ Matris eiusdem Dei, Virginis MARIÆ. Ego N. te hodie in Patrem, Patronum, & Advocatum eligo, firmiterque statuo, ac propono, me nunquam

te derelicturum, neque contra te aliquid unquam dicturum, aut facturum, neque permissurum, ut à meis subditis aliquid contra tuum honorem unquam agatur. Obsecro te igitur, suscipe me in Servum perpetuum: adsis mihi in omnibus actionibus, ac necessitatibus meis; nec me deseras in horâ mortis meæ, Amen.

ALIA ORATIO.

Ad eundem Sanctum.

AVe IOSEPH fili David, qui meruisti audire ab Angelo: noli timere accipere MARIAM coniugem tuam: quod enim in illâ natum est, de Spiritu sancto est; pariet autem Filium, & vocabis nomen eius IESVM. Hunc ô IOSEPH exora, ut me quoque salvuum faciat à peccatis meis; liberet à N. N. donet sanitate, sapientiâ, ac sanctitate; tandêmque perducat ad se in horâ mortis meæ, Amen.




APPROBATIO R. P. PROVINCIALIS.

CVm Tractatum, quem P. Iacobus Reiſs, Societatis IESV Theologiæ Profeſſor ſub nomine IOSEPHINÆ LVCERNENSIS conſcripſit, aliquot eiuſdem Societatis Theologi ad id deputati legerint, probaverintque; Ego Georgius Muglinus Societatis IESV per ſuperiorem Germaniam Præpoſitus Provincialis, factâ mihi ab Admodum R. P. N. Generali Goſvvino Nickel, poteſtate, ut typis vulgetur, permitto. Atque id meâ manu, & officij Sigillo confirmo. Lucernæ 10. Auguſti Anno 1658.

Georgius Muglinus.

INDEX



INDEX ELOGIORVM S. IOSEPHI.

20. Nun-

53. In-

INDEX.

87. Pau-

PROTESTATIO AVCTORIS.

QVicquid ALEXANDER de Libro iusserit isto,
Id Legem æternam vult Liber esse sibi.

Errata.	Sic corrige.
Fol. 21. v. 5. à *fine*	*Virga.*
23. v. 4.	*MARIæ.*
45. v. 15.	5.
v. 17.	6.
50. v. 1.	*consanguineum IESV in 3. & MARIæ in 2. gradu.*
64. v. 13.	*thesauro.*
108 v. *ult.*	*antè & pòst.*
115. v. 11.	*præcipiat.*
122. v. 6. à *fine.*	*Est enim semper,*
124. v. 15.	*apparendi.*
125. v. 8.	*idémq;.*
128. v. 6. à *fine.*	*Dioscorid.*
131. v. 18.	*tignarius.*
197. v. 7. à *fin.*	*effectus.*
205. v. 6.	*habere.*
242. v. 1.	*labor.*
243. v. 10.	*compellavisse non videtur.*
250. *in med.*	*superessfluente.*
258. v. 7. à *fine.*	3. *Vltra.*
v. 5.	4. *Modò.*
266. v. 18.	*Gratiano.*
269. v. 7. à *fine*	*Pareo.*
271. v. 11.	*sect. 1. &.*
272. v. 9.	v. 20.
v. 11.	oblivionis.
v. 14.	*impias.*
274. v. 18.	*venient.*
276. v. 6.	*observat.*
288. v. 3. à *fin.*	*Id ergo.*